

Dissertatio Sacra De Genealogia Jesu Christi ... : Placido Examini subjicit Joh. Jacobus Hottingerus, S. Theol. Prof. Publ. ...


Prior :

Tiguri: Typis Davidis Gessneri, MDCCXI

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1677942827>

Band (Druck) Freier  Zugang





6

41

Fa - 1092 (41.)

2.

3.

5.

6.

7.

8.

9.

10.

11.

12.

13.

14.

15.


16.

17.

18.

19.

20.



Matth. I, 1-16. et Luc. III, 23-38.

DISSERTATIO SACRA

DE

GENEALOGIA
JESU CHRISTI,
PRIOR.

Quam,

Agonothetâ Dei & Mariæ Filio,

Placido Examini subjicit

JOH. JACOBUS HOTTIN-
GERUS,

S. Theol. Prof. Publ.

Respondente,

MARCO HOSPINIANO, V. D. M.

Assumente,

JOH. RODOLPH. BACHOFIO, S. Th. Stud.

Postrid. Syn. Autumn.

H. L. Q. S.

TIGURI,

Typis DAVIDIS GESSNERI,

M DCCXI.



S. I.

Genealogi-
corum
Scriptorum
Ufus.



I quovis alio, nostro certè seculo, elegantior literatura floret: ejusdemque seculi, inter tot ejus maculas, equidem haud postremum ornamentum est. Luculentus literaturæ hujus fructus sunt, tot Imperatorum, Regum, Principum Genealogiæ, à viris de Re literaria præclare meritis, Blondello, Tolnero, Spenero, Im Hof &c. operosè multaque solertiâ adornatæ. Tantòque majoris labores illi faciendi, non tantùm quòd ad Principum virorum gloriam æternitati consecrandam quàm plurimum conferant; imò vitam mortuis quodammodo restituant: sed quòd Historiis egregiam facem accendant. Denique alios Heroicis Exemplis, rebusque præclare gestis ad generosos ausus stimulant: alios fræni instar à sequioribus consiliis coërcent.

A Scriptu-
ra S. non ne-
gliguntur.

II. Genealogiarum Usum haud proletarium esse, vel inde constat, quòd oppidò frequentes sunt Sacris literis, de quibus Rom. 15:4. *quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: Ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus:* & de quibus, ut plurimum ridiculi, heic benè consulti Rabbinì: *Non esse apicem in lege, à quo non magni Doctrinarum montes pendeant.* Genealogia, Hebræis dicitur, Nehem. 7: 5. ספר היחוס *Liber recensitionis secundùm Familias:* & v. 64. ספר תולדות *Scriptum eorum qui Genealogiam suam demonstrant,* Genes. 5: 1. ספר תולדות *quod à LXX. βίβλος Γενέσεως redditur.* Eo ipso vocabulo S. Matthæus Cap. 1: 1. utitur: non universum Evangelium, ut Hammondo aliisque videtur, sed primam ejus partem ita insigniens. Nisi quòd Moses adhibet

active

activè, de iis quos Adam genuit : S. Matthæus, de iis ex quibus Christus genitus est. An S. Matthæus γεννήσεως (ut aliqui mallent,) an γενέσεως voce usus sit ? ad rem ipsam haud multum refert. Posterio- rem tamen lectionem præferimus : quia & popularium Matthæi stilo Genealogico, & Matthæi scopo propius accedit. Jesus filius Jo- sephi fuit : minimè tamen per γέννησιν ex eo. Denique nec Spiritui S. adventum Christi in carnem describenti, vocabulum γίνεσθαι adhi- bere insuetum est. Joh. 1: 14. Rom. 1: 3. Gal. 4: 4.

III. Equidem Spiritus S. plures alias stemmatographias, præ- Genealogia
cipuè in illo, omnis, tum Sacræ tum profanæ antiquitatis Oceano & S. series.
Scaturigine, primo Mosis Libro exhibet. Multus imprimis est in
Lineæ Sanctæ recensione, cujus præcipua capita qui volet, Adami
posteritatem ad Noachum & Semum, leget Genes. 5. à Semo ad Pe-
legum Genes. 10. 1. 22---25. 11: 10 -16. à Pelego ad Abrahamum,
Gen. 11: 16. sq. Hinc Isaci, Gen. 21. Jacobi, Gen. 25. Judæ, Genes.
29: 35. 38: 1. Perezi, Gen. 38: 29. Esromi, ibid. 46: 12. Inde ad Da-
videm, Ruth. 4: 19--22. à Davide (Filiorum Isai septimo 1. Paralip:
2: 15.) per Solomonem, ad Sealthielem usque 1. Paralip. 3: 10--17.

IV. Ne singulos Genealogiarum in Sacris literis exaratarum *Necessitas.*
Usus prolixè recenseamus, magni quondam Ecclesiæ nostræ decoris &
Doctoris, Ludovici Lavateri, in 1. Paralip. p. 3. industria efficit : cui
addere licet Raimund. Pug. Fid. p. 94. Edit. Cârpozov. Waltheri Har-
mon. Bibl. p. 104. 1079. & Officin. § 692. 1702. In causis ipsis civi-
libus, neque exiguus nec rarus fuit : non privatis tantum sed etiam
publicis Personis ; Sive in ordinariis lustrationibus, censibus colli-
gendis, hæreditariis fundis nec confundendis, nec distrahendis &c.
de quibus Exod. 31. Num. 1. 2. Sam. 24. Sive extraordinariis occa-
sionibus, Jos. 7. 1. Sam. 14. Palmarius, quique primo loco recensen-
dus erat, geminus fuit. Uterque cultum & conscientiam respiciebat.
Alter, Genealogias Tribui Levi, præcipuè Aharonis soboli : Alter,
tribui Judæ, tantum non necessarias fecit, & religiosam earum conti-
nationem eis injunxit. Aharonidis Sacerdotium illud concedi-
tum erat, quod Paulo dicitur, κατὰ νόμον ἐντολῆς σαρκινῆς secundum
legem mandati carnalis Hebr. 7: 16. quâ nullus ad sacerdotii functio-
nes & jura admittebatur, nisi indicatâ & demonstratâ Familiâ Majo-
rum suorum, Esr. 2: 59. 62. Tribui Judæ Genes. 47: 10. Mich. 5: 2. promif-

missum erat, שִׁילָה, *Schilo*, *filium*, *Dominantem* populi Dei, ex ea proditurum: & *ex Judæis*, non quibuscunque, sed à Juda, & quidem per familiam Davidis Luc. 20: 41. Joh. 7: 42. *ex semine*, 2. Sam. 7: 12. *de fructu ventris* Davidis, Psal. 132: 11. (ex cujus Majoribus Naafson, fortassis & alii Principes erant) descendentibus. Unde David Actor. 2: 29. *Patriarcha* cognominatur. Ex his inquam *Judæis*, *expectata salus* Joh. 4: 22. Etenim Deus promiserat Davidi, *ex fructu* *lumborum* ejus τὸ κατὰ σάρκα ἀναστήσειν (הַמָּסַח Jer. 23: 5.) *secundum* *carnem* *excitare Christum*, Actor. 2: 30. Psal. 89: 36. & seqq. Eodem, ex virorum Doctorum sententia, tendunt verba Davidis 1. Paralip. 17: 17. Deo gratias agentis, quòd *ipsum* viderit כְּתוּר הָאָדָם הַמַּעֲלָה *ut in serie hominis qui supra omnia*, desuper & ex cælis est: quæ 2. Sam. 7: 19. exprimuntur per הַמִּשְׁפָּחָה לְדָוִד *Lex hominis*, i. e. fundamentum legis fidei hominibus datæ. Denique hinc est, quòd *Messias* Talmudis omniumque Judæorum ore, בֶּן דָּוִד *filius David* cluet.

Genealogiarum singularis in populo Dei ratio habita.

V. Enimverò quò factum, ut Saul 1. Sam. 12: 8. 15: 4. *tribum* *Juda* seorsim à reliquis tribubus lustrari voluerit? Quia ob promissum *Messiam* de ea nasciturum, Tribus illius conservatio singulari curâ à singulis animadversa: persuasis, omnium interesse, ne reliquis tribubus committeretur. Postquam eidem tribui dignitas Regia accessit, ejus *Genealogia* curatius continuata, Regibus hoc sibi sumentibus pensâ, 1. Chron. 5: 17. 9: 1. operamque eam Prophetarum industriâ committentibus 2. Paralip. 12: 15. 13: 22. 26: 22. Nec post captivitatem, populus hanc curam deposuit: Ut prior Paralipomenorum, nec non Esdræ, & Nehemiæ Libri, fidem faciunt. Adde *Joseph. Antiquitat.* XI. 4. Spiritu Prophetico Judæos deferente, Tabulas, in quibus Judaicarum Familiarum origines descriptæ erant, in Templo Hierosolymitano, sub Scribarum custodia asservatas: imò etiam ἰδιωτικῆς ἀπογραφῆς *privatos* & domesticos *codicillos* passim extitisse, Julius Africanus, & Eusebii interpres, Henricus Valesius contendunt, Euseb. H. E. Lib. I. cap. 7. Eas minimùm ad Reip. everisionem usque, in populi manibus fuisse, ex *Josephi vita* liquet. Tabulis his Judæorum adjutus Quirinius, Ἀπογραφῆν illam, ut videtur *Personarum*, tranquillè persecutus est: alteram *Bonorum*, Archelao damnato susceptam, Rebello illa avaræ gentis Act. 5: 37. celebrem fecit. Prior, inquam, tranquillè peracta, quia ipsi Judæi delectabantur hujus-

hujusmodi studiis, eisque ad superstitionem usque addicti erant. Voluit autem divina Providentia, non tantum ejus occasione, Nativitatem Messiae eò loci qui à Prophetis designabatur, promoveri: Sed Judæorum & Gentium Impietatem ex Tabulis Romanorum revinci, quòd Messias eo & loco & tempore natus sit, quo oportebat: De quo Justinus M. *Apol. II. & Tertul. c. Marcion. IV.*

VI. Sanè Characteres unde Messias dignoscendus erat, alii *Characteres Messiae varii.* communes erant cum pluribus coætaneis ejus: nasci hominem, exposititate Abrahami, Judæ, Davidis. Plurimas alias temporis, loci &c. circumstantias prætereo. Alii erant ei *peculiares*, Nativitas ex Virgine &c. Non quisquis priora illa tribuere sibi poterat, pro Messia habendus fuit. Debit tamen Messias & illa & ista exprimere. In quo vel unum desiderabatur, honore Messiae non magis erat dignus, quàm illi ad sacerdotium admittebantur, qui natales ex Ahazone ostendere non poterant. *Efr. 2: 62. seqq.* Itaque hæc Messiae ex Davide descendencia, liquere & ἐξ ἀγώνι ὄντῃ esse debebat: quòd solius Genealogiæ beneficio fieri potuit. Unde nonnulli, apud laudatum Lavaterum, scitè Genealogias Sacras cum scala Jacobi comparârunt, in cuius summo & imo Jesus Christus Deus & homo esset.

VII. Jesum Nazarenum esse Christum: adeoque Deum in eo *Festus Nazarenus, Davidis filius est.* implevisse *promissionem, ad quam XII. tribus, Deum nocte & die colentes, sperabant se deventuras* (*Act. 26: 7.*) inde evincimus, quòd omnibus illis characteribus radiat, quibus in V. T. adumbrabatur & delineabatur. Inter eos non postremus ille est, quòd non tantum ex Patribus Israëlitarum, τὸ κατὰ σάρκα quoad carnem *Rom. 9: 5.* sed quòd ἐδηλον ante omnem demonstrationem manifestum, notoria veritas erat, & omni dubio carebat, quòd ex Juda ἀνατέλλουσιν *germinaverit Dominus noster* *Hebr. 7: 14.* & quidem ex Familia Davidis. Unde Nativitate Christi, *in domo Davidis servi sui, cornu salutis erexit* Deus dicitur, *Luc. 1: 69.* Indidem *filius Davidis*, ab Angelo *prædicatur* *Luc. 1: 32.* à Petro *Act. 2: 30.* Paulo *Act. 13: 23.* *Rom. 1: 3.* *2. Tim. 2: 8.* Matthæo *1: 1.* *proclamatur*: communi populi voce *Matth. 21: 9. 15.* à Singulis *Matth. 9: 27. 12: 23. 20: 30.* Etiam ab Allophylis *Matth. 15: 22.* salutatur: nec non *radix David* *Apoc. 5: 5. 22: 16.* Infensissimis ejus hostibus, hæc audientibus quidem, nec contra hiscentibus. Ne tunc quidem, cum ipse Dominus Jesus in

conflictu cum Pharifæis, *Filium Davidis*, simul *Dominum Davidis* esse demonstraret, Matth. 22: 42. seqq. hanc ei gloriam dubiam facere ausi sunt. Nihil ei, vel in Synedrio Matth. 26. vel coram Pilato Joh. 18. & 19. nomine hoc exprobratum. Nihil etiam Apostolis, ut veritati ei tuendæ operam navare debuerint. Hujus si quicquam factum fuisset, eorum posteri, mali corvi malum ovum, id non disimulâssent. Lipmannus pro sua impudentia & Vatiniano in Jesum Nazarenum odio, Benkozibam in Davidis posteritate fuisse fingit: quia cum se Messiam jactaret, Magistri ei non dixerint, *Non es de Familia Davidis*. At hunc quidem, alii Magistrelli, Herodis Familiæ asserunt, de quo vide Clariss. Alting. *Schilo* l. 17. Hactenus tamen Lipmannus causæ Christianorum favet, quòd istum veri Messix characterem Jesu Nazareno illibatum relinquere debeat: siquidem nec huic Doctores Judæorum dixerint, *Non es de Familia Davidis*. Si qui nuperi ex infelici illa progenie, aliquid diversi crocitare ausint, flocci non facimus, quia isti Tabulis destituuntur: prisca qui eas habebant, producere non ausi sunt. Malevoli apud Euseb. H. E. III. 15. quosdam Christi consanguineos accusârunt, quòd ex Davide orti essent. Lis hæc eis mota coram Tribunali Imperatoris, publicum Christo perhibet testimonium, quòd Davide satus fuerit, & hæreditarium jus in Patris sui Davidis Regnum habuerit. Equidem paucissimis ex face populi, malitiæ supinam negligentiam addentibus, luci tenebras offundere Religio non fuit: sed his Antagonistæ non defuere. Joh. 7: 40. seqq.

*Veritatis
hujus ex Hi-
storia Evan-
gelica de-
monstratio.*

VIII. Itaque istud de Christo caput, meritò locum sibi vindicat, inter ea de quibus Discipuli, ipsique adversarii Christi, dici possunt fuisse *πεπληροφροημένοι persuasissimi*, Luc. 1: 1. Quòd futura ætas eandem conciperet fiduciam, Spiritus S. operâ Amanuensium suorum, S. Matthæi & S. Lucæ, ortum Christi ex Juda, graphicè planè & ad oculus ostendit. In confesso ponimus, utramque quam Viri illi Dei exhibent Genealogiam, *γνήσιον* esse. Neque adeò in ullo numero ponendam, quam ex Codice Cantuariensi exhibet Clariss. Millius *Var. Lect.* ad Luc. 3: 23. qua loco *ἡλί* legitur *Ἰακώβ*, cum universa reliqua à Matthæo designata lineata Salomonis, usque ad Adamum: nisi quòd in Linea Davidis descendente, nomina trium Regum à Matthæo omissa inserantur: In linea autem Semi ad Abrahamum, Cai-

Cainan Lucae commemoratus extinguitur. Non dubitamus istam variationem, imò prævaricationem, homini de Spiritûs S. veritate asserenda æquo nimis (Ut Usa verebatur, Arcam ruituram nisi eam sustineret) sollicito, id est, imperito, potius tribuere, quàm reliquorum omnium Codicumquos impressa Exemplaria universa sequuntur, fidem in dubium vocare. Vid. Mill. l. c. & Spanhem. P. I. Dub. XXII. 39.

IX. Fateor neutram laudatorum Evangelistarum recensionem difficultatibus, quas agnoscunt fideles, obijciunt infideles, carere. Earum causas Lud. Lavaterus ὁ Μακαρίτης l. c. p. 2. b. colligit. Eusebius de sua ætate, τῶν πιστῶν ἑκαστῶ ἀγνοία τὰληθῆς εὐεσσηλοῦν εἰς τὰς τόπους πεφηλολίμηται *fideliū quivis, ob veritatis ignorantiam, varias locorum illorum versiones excogitavit.* Quot putas, ab eo tempore falcem suam in hanc Messē misisse? Neque tamen istorum industriā aliorum conatus sufflaminari fas est. Neque quia illi uberem Messē ex agro isto collegerunt, vitio vertendum aliis, si spicilegium in eo facere sustinent: Vel racematione post vindemiam oleum & opera perdetur. Oceanus non exhauritur, ubi innumeri alii sitim inde restinexerint. Quin, usus quem alii ante nos hīc venati sunt, nobis & illis communis est: confirmatio in fide in Jesum Christum: nec non confusio, cū pseudo-Christianorum, qui hanc Sacrorum Annalium partem expunctam vellent, tum apertorum Christi hostium, qui impio ore & calamo eam lacerant. Denique eorum, qui dicunt se esse Judæos, cū Satanæ Synagoga sint, & Genealogiam Christi in tela convertunt, quæ adversus insignia Doctrinæ de Christo capita vibrant. Alios usus alibi observamus. Universi tam insignes sunt, ut operæ pretium duxerimus, Deo cæptis clementer annuente, & ad gloriam gratiæ suæ vertente, gravissimo Argumento animum intendere, & tenebras luci offusas pro virili disjicere. Nam quod Hammondus, pro more satis liberaliter, *questiones Genealogicæ cū sint difficillimæ, exigua tamen ab iis oritur utilitas:* Alter Anglus isto religiosior, Matthæus Polus, diluit, dicens: *Genealogiam Christi in Evangelistis descriptam fundamentum esse fidei Christianæ.* *Synops. in Matth. p. 21.*

X. Julius Africanus apud Euseb. H. E. l. 7. nec non Patricides, *Non destituitur diff-*
Patriarcha Alexandrinus in B. M. Parentis mei *Tabu-* *culisibus.*

5.

6.

7. 2

8.

9. 2

10.

11.

12.

13.

14.

15.

16.

Tabulas gentis Judaicæ Herodis furore in cineres redactas tradunt; Judæis tamen ipsis, ut diximus, eas usque ad Templi & Reipubl. suæ pefundationem, *superstites*, in publico Archivo custoditas fuisse persuasissimum est. Et ex his fontibus uterque Evangelista Itemma Christi deducere potuit. Jam eas, & à pluribus quidem seculis, æternâ caligine sepultas, liquet. Ita evenit, ut in eo quod præ manibus est argumento, nec pauca, nec vilia sint, in quibus aqua omnibus hæret. Sed illa tanti non sunt, ut cum difficilioribus faciliora, cum obscuris clariora, numero & pondere potiora insuper habenda sint. Imprimis cum ea quæ de præcipuis ejus nodis dici possunt, sobrio homini & æquo, satis esse queant. Porro difficultates huic Historiæ *insite*, confundendæ non sunt cum *παρεισάτοις*, Interpretum præjudicio aut præpostero studio, sine fontica causa obtrusis: cujus generis v. g. sunt hypotheses, de Familia vel Salomonis vel Nathanis ante natum Christum extincta: quod Salomonis & Nathanis lineæ in unam coaluerint: hinc ab utroque Evangelista unum Schealthielem indigitari: quod non nisi Josephi familia ab Evangelista utroque recensetur: quod filiatio illa legalis Josephi, importuniùs ab aliis ocyus ab aliis seriùs, urgetur, & quæ ejusmodi alia. Quæ difficultatibus his tollendis adedò nihil proficiunt, ut, quemadmodum aqua calcem incendit, ita illa Lectorem scrupulis non liberent, sed novis onerent. Si denique nonnulla in via videantur, meminisse oportet, si in quibusvis Genealogiis, maximè in ista, *Ζητήσεις μωραῖς*, ex S. Pauli monito declinandas: hanc *θεόπνευσον*, S. Evangelistis à Sp.S. dictatam, nec à Judæis Apostolorum & proximo inde ævo, quibus hoc quicquid est planè perspectum fuit, impugnatam: qui, si aliquid spurii vel etiam suspecti, in ea animadvertissent, ei parfuri minimè erant. Christo Galilæam patriam esse objiciebant. Quid opus erat eò se recipere? Id unum quod non sit Davide ortus, demonstrâsset eum Pseudo-Christum esse.

Occurritur
objectioni, ex
1. Tim. 1:4.
Tit. 3: 9.

XI. Enimverò S. Apostolus autor nobis est, 1. Tim. 1: 4. *μη προσέχων μύθοις καὶ Γενεαλογίαις ἀπεράντοις* non attendere ad fabulas & Genealogias sine carentes: & Tit. 3: 9. *stultas quaestiones & Γενεαλογίας atatum recensiones & lites & pugnas legales fugere*: Non quod Genealogiarum Sacro Codici insertarum consideratio, nihil ad nos. Sunt enim etiam propter nos scriptæ. Quò, inquam, inde disceremus,

mus, qui promissio Patribus, imprimis Davidi facta, complementum fortita sit. Nec tamen vult, nos de illis contendere. Tum quia res illæ à nostris temporibus remotiores sunt, quàm ut curiositati humanæ, de iis undique satis queat fieri: Ut si cum pertinaciori res sit, lites æternas ex Disputationibus circa eas nasci necessum sit. Tum quia, si omnia illa in evidentissima luce constituerentur, vix major inde ad nos rediturus esset usus. Accedimus Doctiss. Viro observanti: Quo tempore Genealogiæ & Chronologiæ scriptæ, perspicuum fuisse quoddam veræ sint. Alioqui neminem hominum illius temporis, quo res sciri potuit, eas recepturum fuisse. Addit: *Sed noluit Deus nos in iis herere. Ideò reliquit posteritati multa indeterminata: quæ quidem perplexa esse videntur, attamen contradictionem non habent: Quæ possint hoc vel illo, multis sæpe modis verificari.* Acquiescendum ergo illis quæ de Christi Majoribus S. Scriptura nobis tradit, cum illi rei cui à Deo destinata sunt, abundè sufficiant. Multò minùs post promissionem de Christo impletam, Genealogiis opus est: Usu in quem à Spiritùs S. Amanuensibus in S. Tabulas relatæ sunt, expirante: Judæorum Annalibus, ut diximus, perditis: denique Gente Deicidâ adeò dispersâ, ut qui vel Levi, vel Aharonis, vel Judæ aut Davidis posterii sint, non magis demonstrari possit, quàm qui Æneas vel Cyrus originem ex Noachò traxerint. Adeò quisquis Apellarum Genealogiam suam moliretur, non historiam, sed *μύθους*: non ædificationem sed lites, & *ἀπεργάματα* quidem, & ortu & exitu carentes pariturus esset. Fautentur Judæi, Archivis suis perditis, commentarios, quadringentos Camelos onerantes, Genealogiis gentis suæ eruendis impares fore, ap. Alting. *Sehil.* IV. 1. 2. Nec jam, ut Babele reduces, ab Urin & Thummim, sed à solo Messia, tenebris his lucem sibi pollicentur. Caterùm cum populus Dei, non ut olim, & Deum *El.* 63: 16. Mal. 1: 10. & Abrahamum &c. *Patrem* suum profiteatur, sed honos ille Deo privus sit, *Matth.* 23: 9. Cum etiam soli Messiæ promissum sit, quod *in se sobolescet*, nomen ejus (per filios) propagabitur, *Psal.* 72: 17. Deniq; cum solus is *Germe Davidis* sit, quod germinaturum, & filios Roris instar produeturum erat, *Psal.* 110: 3. Providentia Dei, quâ Davidis aliæque Genealogiæ perierunt, adoranda nobis & admiranda est. Enimverò quia Messias *הישו* *tranquillator* Deum inter & homines, nec non inter Judæos & Gentiles, mutuam inter eos pacem conciliaturus erat,

Jesus, neque Schilo esse, Gen. 49: 10. neque (quæ Deo promittebatur) obedientiam populorum obtinuisse dici poterat, nisi & ipsarum Tribuum distributio & earundem in familias distinctio fuisset abolita. Spiritualis regni subditorum, nonnisi Spiritualis (veritatis cognitione, & respicientiæ ac pietatis exercitio, eoque constanti & ingenuo nixa) junctura est.

☉ Heb. 7:3

XII. Si regeras: Atqui ipsum Messiam describi, quod sit *Ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγη* ☉ sine Patre, sine Matre, sine Genealogia, Hebr. 7: 3. neque adeò magnam Genealogiæ Christi rationem habendam. Meminisse juvabit, S. Paulum non inficiari, vel geminam illam Genealogiam ad Christum pertinere: Vel sine magna ratione & luculento usu scriptam. Neque porrò simpliciter refragari vult, Melchisedecum, illustrem Christi Typum, verum quippe hominem, ex posteritate Adami natum, Abrahamo *ἐγχερον*, Patrem & matrem habuisse. Nec id absolutè negat de Christo. Quid enim? Christus non *Dei & hominis* filius fuit? Quoties Christus Deum *Patrem* suum: Pater Christum, *Filium* suum compellat? Non *Mariæ*? Non *Davidis & Abrahami* filius fuit? Tamen *ἀγενεαλόγη* ☉ est. Quia sacerdotibus, Sacra in Sanctuario terrestri, durante *carnali lege* facientibus, hætenus dissimilis, quod isti antequam ad Sacras functiones admitterentur, in Templum vocati, Tabulis prolatis fidem facere debuerant, se ex Patre Aharonida: & Matre, ex honesta familia prodeunte, ortum ducere. Maculâ in alterutro deprehensâ, Candidatus, non minùs atque vitio aliquo corporis laborans, nigrâ indutus veste, dimissus & reverti prohibitus. At Melchisedecus, quanquam *μη γενεαλογούμεν* ☉ nulla ejus Genealogia in Sacris commemoretur, Hebr. 7: 6. haud secus atque si neque Patrem neque Matrem habuisset, *sacerdos altissimi* fuit, Gen. 14: 18. Si ejus, ut *Regis & Civis*, Genealogia cœvis cognita fuit: tamen ut *Sacerdos*, Genealogiam non habuit: non ut Aharonidæ, Parente Sacerdote editus. Minimè requirebatur, sive ut *ἐξ αὐτῶν* ex Familia Aharonis Heb. 7: 6. descenderet: sive ut ejus ex Semo ortus demonstraretur. Tantus tamen sacerdos fuit! Simillima ratio Christi, quem Deus *sacerdotem secundùm ordinem & similitudinem Melchisedeci* Heb. 7: 15. constituit: de quo non tantùm certum est, quod non fuerit *ἐξ αὐτῶν*, ex linea sacerdotali: quia fuit ex tribu Juda, Heb. 7: 13. seqq. Filius non Levi, sed

sed Davidis. Sed de quo porrò verè dici potest, quòd sit *sine Patre, sine Matre*. Etsi enim secundùm alteram naturam *Patrem*, secundùm alteram *Matrem* habuit: attamen idem utroque Parente caruit. Si naturam *humanam* spectes, Pater: si *divinam*, Mater ei defuit. Verè etiam ἀγενεαλόγητος est; pleno quidem sensu, ratione *divinæ* naturæ. Unde sacerdos *secundùm potentiam indissolubilis vitæ* Heb. 7:16. cluet. In quo ipso Melchisedeco, de quo id non prædicatur, superior est. Ἀγενεαλόγητος etiam est, non tantùm ratione sacerdotii, sed *diminuto sensu*, etiam ratione naturæ *humane*. Etsi enim eam ex Maria assum ferit: Maria ex illis qui à Luca recensentur, descenderit: proin hi ipsi verè Christi Majores fuerint: tamen nec linea illa à veteri sacerdotali diversissima, ejus sacerdotio officit: nec Genealogia Christi, ut aliorum hominum, ex Patre derivari potest. De materna autem Genealogia, Judæorum Canon est, non sine grano falis accipiendus: *משפחת משה אינה משפחת* *Familia materna non est familia*. Vide sis adhuc Müller, *Rabbinism*. p. 1031. 1036.

XIII. Sed age, ipsam Christi Genealogiam consideremus. *Primum* liquidanda dubia à Christi hostibus *adversus* eam mota. *Subinde*, *Terminus* utriusque investigandus: denique *singularia* quæ in ea sunt, ponderanda. In prima acie collocamus Satanæ Apostolos, qui Genealogiam Christi νοθείας accusant, eamque ex S. Codice penitus proscribere, haud multis post Christi ἐνσαρκον ἐνδημίαν annis, minimè verebantur. De Ebionitis, Epiphanius *Heres.* XXX. Παρονοψαντες *rescantes*, τὰς παρὰ τῷ Ματθαίῳ Γενεαλογίας. Quin, integris duobus Capitibus prioribus expunctis, Evangelium Matthæi ab Historia Johannis Bapt. exordiuntur. Marcion, & qui cum eo conspirabat Cerdon, S. Lucæ Evangelium (quod tamen, præter nonnullas Pauli Epistolas, unum, ob minùs crebras ejus ex V. T. citationes, admisit) itidem duobus primis capitibus mutilavit: Tertii verbis initialibus, annexuit Capitis IV. v. 30.: intermedia avulsit. Unde Irenæo I. 29. *scripturas circumcidere*: Tertulliano, non tantùm *foveas* & *amplissima abrupta intercisæ scripturæ*, sed etiam *cædem scripturarum confecisse* dicuntur: quo sensu Valentiniani, eas παραχαράξαντες nuncupantur. Etiam Tatianus, Justinus M. Discipulus degener, ex Historia Evangelica, tum Genealogiam Christi, tum cæteras pericopas, quibus ex femine Davidis ortus esse asserbatur, erasit. Ejus

confilium Cl. Millius *Prefat. in N. T.* accuratiùs pandit, Illi impiè calumniati sunt, Apostolos, quippe Judæos, doctrinam Christi à Deo superiore missi (quam legi veteri, à Deo inferiore, Mundi conditore, traditæ, contrariam esse finxerunt) interpolasse, & verbis Christi multa legalia admiscuisse. Petulans hominum impudentia, à reliquis Ecclesiæ Doctoribus retusa: & tum Christi Genealogiæ, quam pestes illæ à sanctis Dei Viris descriptam fuisse inficiari haud ausi sunt, tum reliqui N. T. Codicis auctoritas, adversùs tenebriones constanter asserta. Superioribus infaustior Faustus Manichæus, *miser delirè garrulus*, quò Matthæi testimonium elevare posset, S. Matthæum Apostolum, Evangelii quod ei tribuitur autorem esse, inficiatus est, Faust. XXIII. c. 6. Sed Augustino impietatis pœnam dedit. Unde videtur Spanhemius Dub. Ev. p. I I. colligere, Genealogiam pariter, a *Manicheis esse expunctam*.

Judæorum
& Gentili-
um.

XIV. Utraque Genealogia, non minùs quàm reliquum Dei verbum, est *instar argenti septies in catino decocti*, Psal. 12: 7. Nec tamen Manichæis, Gentilibus, ac Judæis, Christianismi Sycophantis, Religioni fuit eas cavillari: planè ut araneæ venena sugunt, ex iisdem floribus, ex quibus apes mellificant. Julianus Apostata, Cyrillo Alexandrino teste, Christum ex tribu Juda non natum, tum inde conficere satagit, quòd eum non ex Josepho, sed ex Spiritu S. conceptum contendamus: tum, quòd Christiani, Genealogiam Josephi ad usque Judam recensentes, id tamen non *καλῶς ποιῆσαι scitè interpolare* potuerint: Cujus argumentum sit, quòd Evangelistæ de Genealogia Josephi *ἄλλήλους διαφορῶσι dissentiant*. Supponit: Christum ob solum Patrem, ex tribu Juda ortum dici: Patre si careat, non posse pro Judæo haberi: Evangelistas in Genealogia Christi hostiliter diffidere: Utrumque Evangelistam unius Josephi Genealogiam delineare. Sed horum omnium futilitatem suis locis demonstramus. Gentilibus his, nec non Manichæis, pridem conticescentibus & sepultis, Judæi hanc Historiæ S. Partem, arrodere pergunt, Joseph Albo *Ikkar. Sermon. III. 25*, calumniatur: non constare (apud Christianos), an Jesus filius David sit nec ne? Josephum, juxta Matthæum à Salomone, juxta Lucam à Nathane descendere: Itaque utramque, quippe Josephi, Genealogiam nihil ad Jesum pertinere: De Mariæ profapia nil constare. R. Isak in *Munim. fid. edit. Wagenfeil.* (judicio Clariff.

Clariff. Editoris) demum A. C. 1550. scripto : quòdque eidem, quò recentius, èd nequius, & ad fucum faciendum aptius dicitur : Denique quò [idem ait] non aliud extat scriptum, quod magis [Judæos] in erroribus suis confirmet : hinc, inquam, impius Verpa שני החייוחסים המשובשים duas illas Genealogias ineptissimas esse blasphematur : Ejusque autores comparat cum illis, qui in profundum Pelagi se demittentes, nil nisi testam manibus retulerint, pag. 389. Sanctos Evangelistas inter se committit : I. Lucam Josephi originem derivare à Nathane : Matthæum à Salomone : II. Eundem hinc ad Christum 42. Lucam tantum 26. Generationes numerare. Mox sui immemor, Lucæ 40. generationes tribuit. III. Matthæum טעות פורסמות errore manifesto, scribere Joramum genuisse Ufiam. Agnoscit tamen Evangelistam, quia ter quatuordecim generationes exhibere constituerit, operâ datâ tres illas generationes præterisse. IV. Utramque Genealogiam ad Josephum pertinere, nec Christo quicquam prodesse : inprimis cùm Mariæ Genealogia nos lateat. V. Utrumque eandem texere Genealogiam, inde probantibus, quòd uterque Zorubabelem Schealthielis filium alleget, respondet, hos ad diversas generationes pertinere : Zerubabelem Matthæi, à Davide 18. Lucæ 24. esse : Nec acquiescit asserentibus, Mariæ generationem in Luca legi : Josephum autem commemorari, quia maritus una cum conjuge caro sit : Nec enim Jesum illic Mariæ, sed Josephi filium dici : Nec toto Capite Mariam commemorari. Eandem crambem p. 427. reponit. Denique instant : incertum relinqui, uter Josephus, an ̄ Eli, an Jacobi filius, Mariæ maritus fuerit : Et ex Luca colligi, ideò Jesum à nobis filium Dei dici, quòd Adam à Deo conditus sit. Eadem alii ex recutita Gente occinunt, nescio quid (nam & ipsi nesciunt) de nescio quo Panthera addunt : quæ singula, nec non Celsi, Prophyrii, Juliani Sycophantias, aliaque suo ordine & loco dispiciemus.

XV. Ante omnia animadverti velim : etiam si hujusmodi non Evangelista
nubes sed nebulæ, planè pelli non possent, nil quicquam vel S. Evan-
gelistarum fidei autoritatieque derogari : vel inter Evangelistas litem
esse infinitam & interminabilem, ut Faustus Manichæus ap. August. c.
Fauft. III. 1. petulantissimè cavillabatur. Etenim (Photii verba sunt)
non nisi νομιζομένη διαφωνία est. Verùm de hoc suo loco. De illo
aliquid ut delibemus ; quot in V. T. libris, de Personarum, locorum,

temporum circumstantiis definitis, occurrunt difficultates? Ideonè de Librorum illorum ἀποκρίσις quicquam decedit? *Noluit Deus Sacram Scripturam sine ejusmodi scrupulis esse, ut Rosas non voluit esse sine Spinis: Et ut fideles haberent cognitionem sufficientem, & curiosa ingenia haberent in quo se defatigarent. Quorum cognitionem non esse eam quæ nos sapientes facit, inde patet, quia Deus earum rerum partem voluit occultare, scita sunt Clariss. Cocceji. in 1. Tim. I. § 13. Caterùm nodi isti multis bonis digni, visi, quibus cuneos quærent: quosque eorum plurimi adhibuere, æquæ & religiosæ menti satis idonei videbuntur. Summa & centrum plerorumque est, sanctos Evangelistas in rei substantia convenire, utut nonnunquam diversa loqui videantur. Ad scopum eundem, qui est demonstratio Jesum esse Christum, & Virginis Filium, diversa licèt viâ, tendunt. Neuter scopo illo aberrat.*

*Dissentium
Stylo, sermi-
no, numero,
scopo sub-
alterno.*

XVI. Si penitiùs inspicias, deprehendes eos ab invicem abire
I. Stylo. Matthæus verbo ἐγέννησε, ceu vinculo, Patrem & Filium unâ propositione conjungit: *Abram genuit Isacum: Isacus Genuit Jacobum:* Ut Nehem. 12: 10. II. Subinde præter aliquos fratres (v. 2. 3. II.), quatuor mulieres memorat (v. 3. 5. 6.): plerasque alienigenas: omnes, si Rutham excipias, notorio crimine pollutas. Non puduit Christum, gravissimorum peccatorum nomina inter Majores suos legi, quem non puduit eorum fratrem vocari Hebr. 2: 11. Occurrere etiam voluit scandalo inde orituro, quòd cum defectoribus numerandus esset. Esaj. 53: 12. Plures easque prægnantes ejusdem rei causas Spiritum S. habuisse, docet M. Spanhemius Part. I. Dub. Ev. XXV. Idemque Rahabæ (cujus nomen à Pagnino omissum, in Msc. Codice non legitur: incuriâ scribæ, ut Clariss. Millius arbitratur) Exemplo, solidissimè demonstrat Venerabilis & Celeb. Ecclesiæ nostræ Antistes D. Klinglerus in Libr. Jos. P. I. pag. 63. sqq. Protervia Papistæ, Catalogum Paparum, tot prodigia & monstra exhibentem, Exemplis mulierum infamium in Genealogia Christi narratarum, fucantis, pro merito pænas dedit Doctiss. Reysero Rom. non Glor. p. 101. Lucas concisus: *Jesus ut putabatur filius Josephi, & Ἰησοῦ, & Ματθαίου:* nullo fratre, nullâ muliere censitâ. II. Discrepant utroque termino extremo, à quo & ad quem. Matthæus generationis seriem ab Abrahamo ad Jacobum, Josephi Genitorem: Lucas ab Adamo ad Eli Josephi Socerum, Mariæ Patrem

Patrem deducit. Unde III. Generationum *numerus* inæqualis. Matthæus ipse ter quatuordecim (v. 17.) numerat. Lucas Mariâ & Christo inclusis, 76. generationes exhibet. IV. Matthæus in oculis habet declarationem Angeli ad Josephum, quæ pertinebat ad Promissionem, Davidicæ Familiæ factam, de Virgine filium editura Matth. 1: 20. seqq. Lucas illustrat verba Angeli Luc. 1: 32. Mariæ promittentis, quodd, utut Virgo esset, paritura sit filium Davidis, populi Regem gloriosissimum futurum.

XVII. *Methodus* utrique peculiaris est. Matthæus descendit à filio ad Patrem: Exorsus ab Abrahamo, ad Christum. Hunc affectus, Historiam conceptionis, Nativitatis, vitæ, mortis, gloriæ ejus describit. Lucas, qui Johannis Nativitatem & ministerium, nec non Christi ex Maria ortum & vitam privatam hætenus narraverat, captatâ inde occasione Christi Genealogiam pertexit. Καθ' ὑψέρον per ἀνά-
εασιν. Τὴν ἀναφορὰν ἐποίησεν ἕως Ἐδὰμ καὶ τοῦ Θεοῦ, καὶ ἀνάλυσιν,
Ut Epiphanius loquitur, ad ipsum Adamum qui fuit Dei, gradatim (ut 1. Chr. 6: 33.) ascendendo, totius generis seriem perduxit: mox publicam Christi conversationem subjicit. Matthæus posteros Davidis recenset per Salomonem, quartum & minimum natu ex Bathseba Davidis filium, ad Jacobum Josephi Patrem: Lucas per Nathanem, ex eodem conjugio filium Davidis tertium: Ut ex collatione utriusq; ὁμοφυλία & συγένεια illa evidenter constaret, ut Cl. Spanhemius Lib. cit. p. 73. loquitur. Cùmque à Judæis duos expectatos Messias, alterum Davidis, alterum Josephi filium, nemo nesciat, Matthæus à Davide incipiens, in Josepho desinens, ostendit quod unus idemque Jesus, & Davidis & Josephi filius dici mereatur.

XVIII. Lucas solam generationum seriem attendit: easque singulas accuratè exhibet, nullâ prætermittâ. Matthæus liberior, alias quas prætervolat: & arborem Genealogicam in tres tesseradecadas, ceu totidem ramos dispescit: quorum cuique quatuordecim generationes tribuit. Primam, 920. annorum: quorum 430. in Ægypto. Ex. 12: 40. 40. in deserto. 450. in Canaan, Act. 13: 20. ab Israëlitis consumpti. Alteram se porrigentem ad Davidem: annorum circiter 500. (termino vitæ humanæ hæc periodò denuò insigniter, mediaque sui parte contracto), ad migrationem Babilonicam, quæ שבי הנולד Esr. 2: 1. Neh. 7: 6, ἀρχιμαλωσια τῆς ἀποικίας dicitur: Matthæus nuncupat

cupat μετακείσθαι, domicilii translationem : rei acerbitatem verbi lenitate temperans, ait Erasmus. *Tertia* Periodus, si Usserius calculum ritè posuit, 535. annos complectitur, desinens in nativitate Christi, in quo Regnum Davidis, sed nobiliori modo refluuit. Chrysofomus observat, tres Periodos istas, triplici quâ populus Dei ab Abrahami ævo regebatur, Politicæ respondere, Aristocraticæ sub Patriarchis, Monarchicæ sub Regibus, oligarchicæ Synedrii, sub Ducibus : adeoque Imperii Judaici incrementum, statum, & decrementum, exhibent, & Judam, ex oraculo Gen. 49. sine sceptro, cum sceptro, & sub legislatoribus sistunt. Primam David, ultimus quem Patriarchæ elogio Spiritus S. ornat, primus in familia Christi Rex : alteram Jechonias, in cujus posteritate dignitas Regia expiravit : Tertiam Christus filius & Dominus Davidis, diademate augustissimo Davidis proli promisso insignis, terminat. Nec de nihilo est, quod ingeniosiss. Vir, Joh. d' Espagne, in *Symbol. Apostol.* p. 59. seqq. observat, Davidem, primæ classis Ultimam, 70. annos vixisse : totidem annos durasse captivitatem, quâ altera Periodus terminatur : à Christo nato ad Templi II. & Reip. destructionem, denuò 70. annos effluxisse. Nimirum ut Chrysofomus iterum, cum populus ferreus per Judices, Reges, Duces flecti & coerceri non posset, Deus Filium mittere ratum habuit, qui tandem malo mederi : simulque quartâ decimâ jam generatione à captivitate elapsâ, eos monere voluit, ut decimâ quartâ generatione ab Abrahamo : alterâ item à Davide, memorabilis mutatio statûs eorum Sacri & civilis contigit : quæ posterior quidem, oppidò tristis & genti infausta fuit : ceu quâ nominatim nepotes Davidis, non tantum libertatè & opibus, sed etiam dignitatè exuti, exules, captivi, servi facti. Ita novam ipsis imminere Catastrophem, & procul dubio πανολεθείαν (quod imprimis ex Oraculo Daniel. IX. de LXX. hebdomadibus, ad hoc fere intervallum pertinentibus, discere debebant) : nisi rebus suis meliùs consulant & tempus gratiosæ visitationis Dei in rem suam convertant : quòd triennium illud ficui indultum Luc. 13. referas licet. *Hinc etiam patet* (ut cum Cl. Spanh. !Dub. P. I. p. 81. loquar) *quàm sibi semper constet divinæ Providentiæ ratio, quæ omnia in tempore, pondere & mensura producit, & quod confusum in se videri possit, ordinat &c. immutabili manente decreto ejus & voluntate &c.* Grotiana de πολλαπλασιασμῶ multiplicatione numeri binarii & septenarii :

narii: 42. membris in candelabro aureo: totidem columnis in trib. porticibus quæ Templi Basilicam ambiabant: numero senario & septenario multiplicato, qui multiplicati totum stemma conficiunt, &c. arguta magis quàm solida sunt.

XIX. Sed majoris & momenti & difficultatis est, quòd Evangelista uterque, Josephi genus describere, Matthæus tamen *Lucas Maria Genealogiam profequitur.* *Jacobum*, Lucas *Helin*, Josepho Genitorem tribuere videatur. Unde ravidus ille Rabbinus Isakus, duos Josephos extundit: quorum uter Mariæ maritus fuerit, ignoremus: & (post Abarbanelem) utramque Genealogiam ad Josephum, neutram ad Mariam pertinere nugatur. Nimirum Evangeliorum scriptores, & quicumque eorum scriptis & verbis inducti, Jesu Christo crediderunt, blitei & meri pepones fuerunt, ut illa ante nugacissimum hunc Magistrum non animadverterint! At sanè ab his tanti non habita sunt, ut propterea Apostolorum miracula pro præstigiis, & sapientissimam sanctissimamque Christi Doctrinam, pro inanibus speculationibus habuerint. *Primò* minimè verosimile est, utrumque voluisse tantùm Josephi Genealogiam contextere, præteritâ Mariæ Genealogiâ, quam tenere tanti nostrâ intererat. Uterque Mariæ Virginitatem sedulò inculcat, id est, Jesum Mariæ (*cujus beata viscera augustissimum Dei Templum facta, & in cujus utero divina & humana nature concilium factum*: Ut elegantissimè Casaub. *adv. Baron.* p. 95.) non item Josephi filium esse. Eum Davidis esse Filium, inde imprimis liquere poterat, si Matrem ejus filiam Davidis esse constaret. Quod materna Genealogia docere debuit. Nisi Maria Davide oriunda esset, Jesus, Davidis filius futurus non erat. Si Davide nata esset, ejus profapiam tenere, ad confirmandam illam veritatem, maximopere referebat. *Deinde*, quis sanus dubitet, posteriorem quemque Evangelistam prioris, adeoque Lucam Matthæi Annales Sacros legisse? Hic ergo labore suo illum jugulare, an album potiùs calculum, novum robur ei addere voluerit? Nimirum Matthæus in eo erat, ut fidem faceret, Jesum Nazaranum esse *Davidis filium*, Matth. I: 1. Idem Lucas aggressus. Non actum acturus: multò minùs Matthæi demonstrationem ceu frigidam, vel suspectam redditurus, vel rejecturus, sed eandem veritatem novo argumento roboraturus: Omnem Judæorum pertinaciæ & infidelitati rimam obstruaturus: simul veram Christi humanitatem, quâ nobis

nobis per omnia similis est, adferturus. Vide Hebr. 2: 14. Matthæus capitalem illam quam diximus Christianismi veritatem, adstruxerat ex Genealogia Josephi, quem Davidis furculum esse, Judæis (in quorum gratiam Evangelium à Matthæo descriptum, eoque frequentioribus V. T. oraculis confirmatum esse, Literati consentiunt) planissimè constabat, Matth. 1: 20. Luc. 2: 4. Cùmque Maria ei desponsata esset, natales ejusdem ad Davidem referendos, eo tempore (nonnisi octennio à Christi ascensione elapso), præcipuè à Davidis posteris, nisi vel stupidus vel malitiosus, nemo in controversiam trahere debebat: si quis tamen traxisset, facili negotio à quolibet convinci poterat. Lucas verò (ipse proselytus ut videtur, ex gentilibus) Romanis & Græcis (sive Romæ apud Paulum, seu post discessum ab eo, in Achaja: seu postmodum in Patria Antiochenorum Urbe scripsit, ut Vossius, seculi sui Varro, conjicit) à gentili impietate convertendis, quibus Judæorum historia, ritus, legesque minùs perspectæ erant, Pauli comes tantùm non assiduus, operam navabat. Hos ergò ea, quæ Ecclesia ex Judæis collecta de Christi ortu secundùm carnem exploratè teneret, ignorare Lucas noluit. Cùmque non protinus viderent, Jesum ex eo quòd filius Josephi esset, Davidis etiam filium agnoscendum; distinctiùs, quomodo ex Davide genus duceret, eis explicandum fuit. Simul persuasum eis esse voluit, Christum, Gentiles in eum credituros, non minus profratribus habiturum, quàm Judæos. Ut enim hi ex Abrahamo, ita illos ex Adamo, communem cum Christo trahere ortum, & ex uno sanguine cretos. Itaque Jesum Davidis filium esse, Lucas porrò ex Mariæ Matris cognatione, Spiritu S. (Genealogiam Christi gradatim explicante) autore aggressus est. Non tamen Mariam, sed Josephum, non minùs quàm Matthæus, Genealogiæ Christi radicem constituit. Impia, non divina est Salmeronis divinatio, Mariæ parentes (à Luca) non recenseri, *ne respiceretur à nobis ut filia Adæ sub peccato comprehensa: & cum Redemptore, non cum redimendis aggregari, ut quæ in redemptione mundi, comes ejus esse debebat & administra.* Propiùs vero accedunt, quibus Lucas videtur Judæorum mori indulgere, qui nonnisi Patris familiam recensere sueverant. Nec mirum, Maternum genus, illorum qui *ex sanguinibus, ex voluntate carnis & ex voluntate viri nascuntur* Joh. 1: 13, in Genealogiis negligi. Alia Christi ratio. Potuit,

Potuit ejus Genealogia materna describi, imò id fieri oportuit, quia *semen mulieris & filius hominis*, eò ferè dicitur, quòd corpus ejus ex sanguine virgineo formatum sit. Quæ virgo, quia filia Davidis fuit, filius ejus, non minùs Davidis filius dicendus, atque si Patre Davide ortus esset: Nec Christus minùs Davidis filius quàm Josephus. Conf. Genes. 31:43.

XX. Minimè ergo unti Josephus duobus Patribus editus fingendus. Sed S. Evangelistæ diversis solidisque rationibus impulsus, unum eundemque commemorantes, alium & alium Patrem ei assignant. Diverso sensu & scopo, quem diligens eorum consideratio attendenti aperit. Nam Matthæus quidem, *Jacob*, inquit, *genuit Josephum*: naturali nimirum generatione, ut *Abrahamus Isaacum genuit*. Ut Josephus Jacobi filius *naturalis* fuerit. Mariæ Genealogiam à Matthæo non exarari, certum est. Hactenus enim Mariæ nullus meminit. Sed protinus de Josepho loquitur: Tum demum ejus cum Maria connubium subjicit. Nisi Matthæo vim facias, nihil anteriorum ad Mariam referes. Secus omnia Lucas digessit. Præmisit historiam Mariæ, Josephum obiter commemorans. Mariam Messiæ Matrem esse, tot miraculis Lectori insinuaverat. Ne ignoraremus, Jesum Mariæ filium (ut oracula Prophetarum de Messia vaticinabantur) ex Davide esse, ejusdem Matris Genealogiam pertexit. Quam enim aliam dares idoneam rationem, quæ Lucam ad stemma Josephi, putativi tantùm, ut ipse observat, patris Jesu, post Matthæum, denuò, & quidem tam operosè describendum, induxerit, Mariam semper neglectam? Enim verò sufficiebat, jam ex Matthæo de legali Christi Patre constare. Jam inde abundè colligi poterat, Jesum Davidis Filium esse ob Matrimonium à Maria cum Josepho contractum. Cùm verò Jesus, Josephi Filius, ob reverentiam conjugii cum matre ejus, nec non ob fidem ac curam educando Matris Virginis Filio navatam, à Judæis & putaretur & diceretur, nec tamen esset, duplex Josephi Genealogia, errorem Judæorum, quòd Josephus verus Jesu Pater sit, potius confirmatura erat: & Lucas scopo (qui, ut ex v. 23. patet, fuit errorem illum delere & tollere) excidisset. Ne ergo deinceps quisquam dubitaret, Jesum Davidis Filium esse, Spiritui S. geminam demonstrationem uti placuit. Prior est, quia per conjugium Mariæ transit in familiam Solomonis,

quod nulli puero qui Davide natus non esset, contingere poterat. *Posterior* est, quia ex Filia Davidis substantia genitus.

Novi Characteres.

XXI. Cur Lucas, præteritâ S. Virgine nomen Josephi eo loco adhibuerit, ex superioribus liquet. Scrupulo qui inde oboriri posset, ac si Josephi, non Mariæ Majores recenseret, duplici modo occurrit. *Primò* nemo dubitare poterat, à Luca Majores ejus exhiberi, de quo jamjam loquebatur. Is verò Jesus Nazareus erat. Ex adverso quorsum ab eo hîc familiam Josephi describi, de quo toto hoc capite, adeòque ab anno Christi duodecimo ad tricesimum, planè nullam mentionem injecerat? *Deinde*, cùm ratione prægnante inductus, tandem Josephi nomen exprimit, perspicuè monet, Jesum ejus filium à Judæis carnalibus & scripturæ lucifugis, *putatum* quidem: re ipsa talem minimè fuisse. Hâc quasi galeâ munito Lectori, Genealogiam proponit. Quis jam præsumat, eum ad Josephi Parentes naturales recitandos, se hoc præfamine accinxisse? Potius docere voluit Lucas, Jesum, qui omnium confessione, Mariæ genuinus, Josephi autem *putativus* filius fuit, Ἰσραὴλ fuisse Nepotem. Unde non ut Matthæus, verbum ἐγέννησε adhibuit, sed Articulum Ἰ: quo equidem ut plurimum Patrem filio connectit, eundem tamen etiam adhibet de Adamo: qui Ἰ Θεὸς dicitur, non sanè ita, uti Seth Ἰ Ἀδὰμ fuit. Non inquam, quia ex Deo genitus, sed quia à Deo *creatus*. Quis enim somniet, Lucam qui v. 22. Jesum Dei *filium* dixerat, v. 38. Adamo idem encomium tribuere voluisse? Probabiliùs multò Clariss. Ligfootus conjicit, Lucæ constitutum fuisse demonstrare, eum quem Deus filium suum jam jam promulgabat, semen esse Protoplastis promissum. Unde porrò fluebat, eundem esse Dei & hominis filium i. e. Θεάνθρωπον. Catenæ illius annulus primus respondere debebat ultimo. Liquebat autem nec Josephum Ἰ Heli, neque Adamum Dei filium esse, sed utrumque Christo competere. Sunt qui Syrum interpretem perstringant, quòd addito ubique nomine בן *filius*, restrinxerit, quod Spiritus S. laxiùs scripserit. Ligfootus tamen *filii* vocem fert; sed hac lege, ut nomen Jesus ubique inferatur ad hunc modum: *Jesus filius* (ut exstimabatur) *Josephi*, *Jesus Filius Eli*, *Jesus Filius Matthæi* &c. *Jesus Filius Sethi*, *Jesus Filius Adami*, *Jesus Filius Dei*. Oper. T. I. p. 350. b. Id ipsum, ad Photini ut ait, *confusionem*, demonstrandamque divinam filiationem Christi, pridem urisit Auctor

Quæst.


Quaest. V. S. N. T.: non Augustinus, sed eo, ut videtur Erasmo, in Sacris literis exercitator, & fortè, quod Cl. Gomarus Op. 3: 309. ex quaest. 48. suspicatur, ab Ariano interpolatus. Si tamen omninò Lucæ verba, Ἡλὶ, ad Josephum, qui proximè nominabatur referre, eumque Ἡλὶ filium constituere velis, non refragabor. At filium ἐπιγαμ-
 ξένου lege: quia Ἡλὶ gener fuit. Vide Ruth. 1: 13. 1. Sam. 24: 12. 17.

XXII. Quid tamen impedit, quò minùs verba (quod Syro *Jesus, non Josephus, Filius Heli, ap. Lucam dicitur.* ὡς ἐνομίζετο Ἡλὶ, potiùs paren-
 thesi includas, & illa, ὡν Ἡλὶ, junctim, de Jesu intelligas; qui cùm putaretur Josephi filius esse, non fuit: quippe secundùm natu-
 ram humanam ἀπάτωρ. Fuit tamen Ἡλὶ, quia ejus ex Maria genuinus Nepos fuit. Christus neminem in terra habuit, quem propiori & potiùs jure Patrem cognominaret quàm Heliam. Conf. Myller. Rabbin. p. 1033. Ea explicatio Johanni Maldonato tam plausibilis visa, ut dixerit: *Si (modus construendi) verus esset, nullum questionè locum relictum iri.* Grotius tergiversatur. Negat vocem quæ ubique filios denotet strictiori significatione, ultimo loco posse Nepotis significationem habere. At primò, ut Christi Persona singularis, ita Spiritus S. de eo loquens, non ubique ad Regulas vulgares & stylum receptum astringi debuit, voluit. *Secundò*, Articulus Ἡ, non in ultimo tantùm, sed & primo membro generationem excludit. *Tertiò*, frequenter eadem vox, in eadem Periodo de diversis adhibita, significationem diversam admittit. Gen. 37: 35. בְּנוֹתֵי filiarum Jacobi dicuntur surrexisse, ad consolandum Jacobum. Habuit unicam filiam. Idcirco cum ea etiam Jacobi Nurus, sub voce illa intelligendæ. Conf. 1. Cor. 3: 22. seqq. Joh. 14: 20. 17: 11. 18. 1. Joh. 3: 16. Ne repetam, à Spiritu S. sapientissimè, non filii nomen: sed pronomèn Ἡ, quod omninò latius est, adhiberi. Adde sis, à Thalmudistis, Mariam filiam Ἡλὶ alicubi constitui, Clariss. Ligfoto videri, *Hor. in Luc. 3: 23.*

XXIII. Equidem Julius Africanus, circa A. C. 220. ἐχ' ὁ τυχιῶν Νοταριῶν γεωφύης, *haud ignobilis scriptor* Eusebio dictus H. E. Lib. Jos. c. 6., postquam Epistolâ ad Aristid. *ibid. c. 7.* multorum aliorum conciliationes *Jul. Africanus* ὡς ἀν βιαιὰς καὶ διεψευσμένους ἀπέλεγξε *tanquam violentas & falsò confictas coarguisset*, conciliationis rationem derivare sustinet, ex lege Leviratûs, cujus causa fuerit, ὅτι ἐδέπω δέδοτο ἐλπίς ἀναστάσεως σαρκίος *quia*

quia (Israëlitæ) non habuerint spem resurrectionis carnis. In quo Vir magnus oppidò fallitur. De Solomonis & Nathanis familiis inquit, συνεπεπλάκη ἀλλήλοις inter se permixtas. Mentem ejus hoc Schemate subjiciam.

David




Huic sententiæ Africanus plurimùm tribuit, σαφεστέραν ἐξήγησιν ἐν ἄν
 ἔχῃ ἢ ἄλλος ἐξευρεῖν planiorem certè interpretationem, meo quidem
 judicio aliorumque qui æqui rerum æstimatores esse volent, nemo facile
 repererit. Proinde hæc nobis sufficiat, quando nec meliorem aliam, ne-
 que veriore proferre possumus. Unde verò illa? Negat quæ dixit
 esse ἀναπόδεικτα ἢ ἐχθροδιασμένα certâ ratione destituta, aut temerè con-
 fieta. Cognatos Christi secundùm carnem (unde δεσπόσοι Domi-
 nici appellati sint) εἰς Φανητιῶνες, εἰς ἀπλῶς ἐκδιδασκοντες, sive ad
 ostentandam generis sui nobilitatem, sive ut simpliciter docerent, ex Libris
 Ephemeridum Genealogiam istam Africano tradidisse. Notari velim,
 ut ipse Africanus in ea re fluctuet! Eandem hæc sitationem porrò
 ista producit: εἰς ἔν ἔτιως εἰς ἄλλως sive res ita sive secus habeat.
 Et: μὴ ἔμμεατος ἐστὶν nullo testimonio fulta. Denique monet, τὸ
 μέγατι εὐαγγέλιον πάντως ἀληθεύει quicquid de his sit, quin vera sit
 Evangelii narratio, dubitari non potest. Candidè & piè: Ut tanto
 viro dignum erat. Rem enim ipsam si æquâ lance ponderemus,
 non modò de hac traditione feciùs suspicandi, sed etiam eam repu-
 diandi, apodiçtica rationes se offerunt. I. Judæi ἐπιγαμβεύσεως
 legem

legem (quam multi, nec proletarii Interpretes, de consanguineis remotioribus, ejusdem tamen familiae, explicare amant) de fratribus proximis intelligunt: Notant majoris natu viduam, fratri minori ducendam fuisse: Fratris autem, non uterini, sed Germani: *Ἰνα ἀνέκλειπτον μένη τὸ ὄνομα ἔμετῆλλαχότ* ut Africanus loquitur, *ut mortui nomen (& Familia) nullis unquam seculis obliterandum, permaneret*: Neque filius ejusmodi duobus Patribus tribuebatur, sed in patris nativi Familia numerabatur. Ut Boozi exemplum docet. Conf. Spanhem. I. Dub. XII. Secus omnia se habent in Africani hypothesi. II. Τὸ ἐνομιζέτο Luc. 3:23. quod ad Christum pertinet, ab Africano ad Josephum refertur. III. Commentatio quam Africanus *δεσποσύνοις* tribuit, pro certo sumit, à Matthæo & Luca ejusdem Josephi Genealogiam describi: Josepho Geminum Patrem à Spiritu S. Vendicari: Nathanis lineam in Heli ἀτέκνω defecisse: Mariæ lineam negligi: quæ omnia à vero procul esse nobis certum est. IV. Traditione illâ, Melchi Pater ἔ Eli constituitur. At juxta codices plerosque quos nostri sequuntur, verus ἔ Heli Pater, fuit Matthat: Avus, Levi: Proavus Melchi. Ita duo insignia sphaeræ ejus lumina ab Africano (quod etiam ab Irenæo, Gregoriis, Nysseno & Nazianzeno, aliisque factum) extinguntur. Patres quidem narrationi ei plurimum detulerant: Augustinus tutiori sententiâ retractata, ad Africani judicium implicatus, traditionis antiquæ, sed incertæ obtentu, declinavit, Cl. Gomaro notante, Op. T. 3. p. 309. Clarissimis Viris, Casaubono c. Baron. p. 96. b. & Vitringæ Hypotyp. Hist. S. p. 172. hæc quidem Africani, Genealogias conciliandi ratio, optima ἔ maximè probabilis videtur: Grotio verò, Africanus est scriptor qui in multis rebus, non tam diligentiam quàm judicio ἔ linguarum cognitione destitutus labitur, in Luc. 3:23. Et paulò post: *sedulus magis quàm exacti per omnia judicii*. Cæterùm luculento hoc Exemplo discimus, quid certitudinis & veritatis narrationibus insit, quæ, etiam à pia & erudita vetustate, nomine traditionis primævæ commendantur. Ut mirum non sit, Ambrosio aliisque displicuisse.

XXIV. Johannes Damascenus *Orthod. Fid.* IV. 15. μέγα Africani *ἄιτημα*, ab utroque Evangelista unius Josephi Genealogiam delineari: Nec non, quòd Leviratûs jure familiæ permixta sint: Geminò

Gemino matrimonio ficto, confirmat: In aliis vestigia ejus deserit. Systema ejus, hujusmodi Typo comprehensum est.



At Damascenus non alium hinc fructum metit, quàm quòd errores erroribus Africani addat. Melchi secundum Lucam, Levi Pater; secundum Damascenum filius ejusdem; nec Heli Mariæ, sed Josephi Pater fuit. Heli aliis idem qui Joachimus: Damasceno diversus fuit, nec in omni Mariæ Genealogia à Damasceno excogitata quicquam ὑμῆς, nisi quòd eam Nathanis filiam fuisse admittit. Idem Africanum secutus, Matthatum & Levin omittit? quod Helvicus non animadvertens, frustra putat, in Damasceno pro Melchi, legendum Matthat.

Grotii.

XXV. Illustris Grotius plerasque Africani hypotheses adoptat: in plerisque ab eo discedit: suspicatus, ejus interpretatione, corruptum quod rectè à Δεσποσύνοις acceperit. Itaque eam interpolavit recentiore traditione ex Epiphano & Damasceno; de Panthera &c. Denique Ambrosium secutus, Jacobum legalem, Heli naturalem Josephi

in Luc. 3. In recensendis nominibus mira in Græcorum Codicibus confusio : ne Latinis quidem inter se consentientibus. Alibi deerat, alibi supererat. Inversa ac depravata pleraque.

Panther.

XXVI. Africanus nodum solvere nescius, gladio usus est, penultimum & antepenultimum ex Christi Majoribus rescans. Damascenus, fætus tres supposuit spurios. Cur non maluerit genuinos illos restituere, ipse viderit. Exemplum imitatus Grotius : nisi quòd naturæ ordine inverso, Patri *BarPantheris* : Filio, *Pantheris* nomen dederit. *Pantheris* verò & *Joachimi* nomina ἀγροφα, obscura & nova lucem postulare videntur. Blasphemant Judæi, Patrem Christo contigisse *Panderam*, Ethnicum & adulterum. Recentiori Judæo Josephus, *Pandira Nazareus* dicitur. Schikardus *Pandera* seu *Pandeira* nomen, Matri Christi datum ait. Alii Mariam, nuptam *Jochanano*, ex Papo Jehudæ filio, concepisse mentiuntur. Iisdem Christus *Stada* filius dicitur. Ad quem sexum *Stadam* referant, ignorant. Non malè conjectâsse videtur Cl. Wagenseilius, *Stadam* (alii pronuntiant *Sadram*) eandem esse, quæ Africano *Estha* (עֶשְׂתָּה), Josephi Avia nuncupatur. Haud adeò multis à Johannis Evangelistæ excessu annis, sub Hadriani & Antoninorum tempora, Celsus Gentilis Philosophus fingit, πανθηρ Josephi, quem militem fuisse fingebat, cognomen : inde Christum Pantheris filium fuisse. Epiphanius memorat, Jacobum Josephi Patrem, ἐπιάνην Pantherem cognominatum fuisse : Unde Grotius conficit, Pantheris & BarPantheris cognomen gentilitium positum, habere vicem nominis per immemoriâ oblitterati, ut fieri solet. Et quidem Panther cognomen fuisse eorum qui à Melchi descendunt commune. Damascenus Pantherem, Mariæ; Epiphanius *Hæref.* LXXVIII. Josephi Majoribus inserit. Grotius utrique familiæ commune facit, sed eo nomine Cl. Wagenseilio *Thold Jesch.* p. 30. vapulat. Sed & pridem Origenes, Pantheris nomen ad Christi familiam non pertinere, contra Celsum probavit. Vid. *Spenc. ad Orig.* p. 25. Nimirum Gnostici alique hæretici, quisquillas has à Judæis (Christo fortassis suspensionem, vocabulo *Pandira* improbrantibus) & gentibus mutuatas Pseud-Evangeliis suis inseruerunt. Denique fabulæ istæ, ut ex Epiphanio constat, ab orthodoxis adoptatæ. Scilicet, ut Sathan ante Christum natum, ex V. T. historia fabulis conspurcata, ridiculos Gentilium Deos, obstetricantibus

eorum Philosophis, exclusit, & Idololatriam peperit: Subinde nonnulla inferciens, ex quibus Annales S. confirmarentur. Itidem Christi nati Historiam, Satanas per Judæorum Doctores mendaciis & blasphemis nequissimè laceravit, non tamen impedire potuit, quin passim scintillæ veritatis emicarent, quæ solidæ Evangeliorum veritati testimonium præberent. Inter quas haud nullius momenti illa est, quòd ex istis commentis evincatur, Mariam & Josephum ejusdem familiæ propagines fuisse. De his fusiùs Buxt. Lex. Talm. Voc. פנדירה & פנדירה. *Vossius in Geneal. Chr. Alting. Schil.* 1. 18. alii.

XXVII. Eodem fortasse referas, quod *Jochanan* quendam ^{ex Joachimus, qui?} commemorant: An dicere volebant *Joachimum*? qui non quidem sponfus, Pater tamen B. V. priscis reputatus est. Sanè Epiphanius *Heres.* 78. & 79. B. Virginem Patre Joachimo, Matre Anna editam confirmat. Quam Annam, Elisabethæ Sororem fuisse, Lutherus suspicatus est. In Ecclesia Latina Faustus Manichæus de Patre B. V. idem confirmat. Addit, eum fuisse *ex tribu Levi Sacerdotem*. Sed respondet Augustinus *adv. Faust.* 23: 9. *quia hoc Canonicum non est, non me confringit*. Nimirum, ut Cl. Millius docet, Joachimus ille in Pseudoevangeliis Hæreticorum passim obvius fuit. Attamen imperitiâ & audaciâ Ecclesiam subjugantibus, opiniones hæc locum, & cum ætate auctoritatem in Ecclesia impetrârunt, aded quidem ut Nicephorus nihil hæsitans scripserit, S. Annam B. V. matrem, Sacerdotis Matthan filiam fuisse, ac *Mariam & Sobam* sorores habuisse. Hæc Nicephorus, Magno Polyhyftore Vossio iudice, *plurimarum fabularum consarcinator*. De eodem Casauboni iudicium similitimum, vid. *adv. Baron.* pag. 95. b. Tamen Ecclesia Romana, teste Breviario Romano, Sixti V. jussu, in Festo S. Annæ profitetur: *Anna Dei Genetricis Virginis Mater, Gaziri filia, ex tribu Juda, in Bethlehem oppido Judææ nata, Joakimi fuit uxor, qui & ipse ex eadem tribu fuit Galileus ex Nazareth*. Ut autem etiam ista Joachimi & Annæ nomina ex Evangeliiis Apocryphis in Patrum scripta irrepisse videantur, non tamen erat cur Joachimum ab Heli diversum Damascenus, Grotius, alique fingerent. Etenim ut Joachimus & Eliakim ejusdem Personæ nomina erant, 2. Reg. 23: 34. Pontifex M. qui Judith 4: 11. Eliachimi nomen habet, 15: 9. Joachimi nomine venit. Et Eli ex Eliakim contrahi, vel Eliakim ex Eli augeri potuit. Ita nomina Eli & Joachim significatione non abeunt.

Galatinus *Arca. Cath. Ver.* VII. 12. Judæor. testimonio confirmare vult, Heli *proprium*, Joachimus *vulgare* ejus nomen fuisse. Ut qui Lucæ dicitur Eli, ab aliis Joachimus nuncupari potuerit: adeòque Joachimus ille, tum à traditione quæ Patri Mariæ Joachimi nomen dedit, tum ab ignorantia, quæ ob unius Personæ duo nomina sono diversa, duas personas constituit, nobis obtrusus est.

B. Virginem
ex tribu
Levi esse, So-
cinus alii
que volunt.

XXVIII. Equidem Celsus aliique gentiles, nec non heesterni Judæi, B. Virginem à Juda descendere negant. Eorum castra ingressi Manichæi, eandem ex Levitica tribu ortum trahere mentiebantur, apud Augustinum *adv. Faust.* 27: 4. Suidâ teste, fuit qui Christum in Templo Hierosolymitano, sacerdotio functum contenderet. Socinus ejusque Discipuli, Mariam Judæ tribulem esse in dubium vocant, idque ex cognatione ejus cum Elisabetha colligunt. Episcopus, *Mariæ Genealogiam simpliciter supervacaneam prorsus debere videri*, vult. Quia enim desponsata Josepho fuerit, in ejus Familiam transiisse: Itaque perinde esse, sive de Juda, sive de Tribu Levi fuerit. Eandem causam pertinaciter agit M. A. De Dominis, *de R. E.* VI. 1. Contendit 1. Mariam ex stirpe Davidis editam, quia ordinariè ex eadem tribu uxores ducebantur; Et ob authoritatem Patrum, probabile judicat: Nullâ tamen necessitate nos cogi ita statuere, quia Scriptura S. id nunquam clarè expressis verbis pronuntiat. Imò quia, Elisabetham *cognatam* ejus dicendo, (Luc. 1: 36.) conjecturam det, B. Virginem ex stirpe Aharonica fuisse (Luc. 1: 5.): quod etiam Ludov. Wolzogenio placet. Pergit Archipræsul: Mulieres sæpe ex diversis tribubus assumtas (quod ultrò largimur, etsi non tantùm V. V. Græcos Interpretes à veritate Hebraicâ Num. 36. descedentes, secuta, sed etiam Damascenus, aliique Græci secus sentiant): Legem de non miscendis tribubus, nonnisi propter possessiones datam fuisse: Mulierem quæ possessione careret, in quacunque tribu nubere potuisse. Matrem filio suo nunquam, & in quocunque casu tribum suam communicâsse, sed solum Patrem, sive verum & naturalem, sive tantùm legalem. Neque adeò Christum ex parte Matris potuisse in ulla certa tribu censeri. 2. Christum, per solum Patrem legalem, & tribum Judæ & Familiam Davidis nactum. 3. Spiritum S. respectu Josephi id præstitisse, quod Frater superstes fratri sine prole mortuo. 4. Filium ex lege genitum, idem Jus obtinuisse in civilibus, ac si naturalis filius defuncti fuisset.

fuiſſet. Sic Chriſtum verum ac legitimum Joſephi filium fuiſſe, non naturalem ſed legalem: & propter Joſepum eſſe verum & legitimum filium Davidis, non naturalem ſed legalem. Stirpem nullo modo naturaliter per hominem, ſortiri potuiſſe: Sortitum eſſe plenè & perfectè per legalem Patrem legaliter.

XXIX. Spongiam his tricis pridem adhibuère, Auguſt. *adv. Quod expen-*
Fauſt. 23: 8. Nec non Spanhemius Pater, P. I. *Dub. XX. 37. ſeqq. penditur.*
 Summa nonniſi capita perſequi lubet. B. Virginem ex Judæ & Davidis poſteritate fuiſſe, S. Scriptura clarè docet, etſi *expressis verbis* non dicat. Etenim 1. Ut Auguſtinus l. c. obſervat, Chriſtus Matth. 1: 1. diſertè *filius dicitur Davidis*. Subjiciuntur Majores Joſephi. Mox monetur, Mariam conjugem ejus, non ipſius concubitu, ſed de Spiritu S. concepiffè. Quò ſatis inſinuatur, *ipſam Mariam* (cum Auguſtino loquor) *aliquam de ſtirpe David venam Sanguinis ducere: ut caro Chriſti, etiam ex Virgine procreata, ſine David ſemine eſſe non poſſet.* Id eſt, Chriſtum Davidis filium dici, non adèd Joſephi quàm Mariæ intuitu: Et Mariam *non fuiſſe extraneam à cognatione David*, id eſt, non minùs descendere à Davide quàm Joſepum. Addit idem, Cap. 10. *Quisquis dicit Mariam ad conſanguinitatem Davidis non pertinuiſſe, maniſeſtum eſt, quod iſtarum ſcripturarum tam excellenti auctoritati obſcuretur. Ipſe verò convincat, non eam pertinuiſſe ad ſemen David, & hoc oſtendat, non ex quibuscunque literis, ſed Eceleſiaſticis, Canonicis, Catholicis. Alia quippe apud nos non habent ad has res ullum pondus autoritatis &c.* 2. Verba *ἐξ οὐκ Δαβὶδ* Luc. 1: 27. ad S. Mariam referri quid impedit? Cùm Virgini filium promitteret Angelus, aſſeverat, Filio huic *Thronum Patris ejus David* paratum, Luc. 1: 32. Virginis filio David Pater eſſe poterat, niſi Virgo ex Davide ortum traxiſſet? 3. Cùm Auguſto Imperante, ſinguli in ſua Urbe deſcribi deberent, Joſeph Bethlehemum profectus, quò *unà cum Maria* deſcriberetur: Luc. 2: 3. 5. quia pariter ex Davide orti. Ecceui æquo, ſimile ſit vero, Virginem, pudicam, partui vicinam, maritum comitaturam fuiſſe, niſi ei, quippe ex diverſa à Joſepho familia oriundæ, nomen ſuum æquè ac marito profitendum fuiſſet? Neque certior ratio Genealogiæ Chriſti à Matthæo per Joſepum ductæ, quàm quòd Maria ex ſponſi ſui familia eſſet. 5. Meſſias filius Davidis legalis tantum, minimè eſſe debuit: ſed *ſemen*, 2. Sam. 7: 12. & *ex vi-*

scribis Psal. 132: 11. Davidis. Christus *ex Davide* natus secundum carnem, Rom. 1: 3. Frustrà id dicitur, nisi Davidis filius idèd sit, quia Mariæ filius, & *fructus ventris* ejus, Luc. 1: 42.

Lex de
ἐπικλησίᾳ
Num. 36.
Christus
num Davi-
dis filius
legalis?
Elisabetha
& Maria
qui cognati
sunt

XXX. Fuerit B. ejus Mater ἀκληστῆ, *sine possessione*, sine Patrimonio & peculio. Quia tamen fratrem non habuit (quidn̄ enim S. Evangelistæ ejus æquè meminissent atque sororis? Quæ Maria Cleopæ, Jacobi minoris mater erat): quia etiam ut diximus, non minùs quàm Josephus, inter Bethlehemitas describi voluit: Idèd lex illa Num. 36: 8. 9. Virginem S. non minùs quàm *בְּתוּלָה בְּדִוְרֵיהֶם אֲרִיִּסְתּוּסִין κληρονομίαν, ἐπίκλησθ, ἔκκλησθ, hereditariâ possessione* auctam spectavit. Non tantùm quia jus avitæ possessionis, lege illa stante inviolatum mansit: quòd à nonnullis referuntur illa Epiphani, Josephum duxisse Mariam τῶν κληρῶν εἰς τὸ αὐτὸ ἀναγκασίαντων: quæ tamen judice Seldeno *de success. in bon. defunct.* c. 18. aliò tendunt. Lex illa tamen, B. Virginem concernebat. Potissimùm quia etiam inter *μονοκληρονομήας*, quamvis Iro pauperiores, causa legis illius, de tribubus non confundendis, locum habuit. Etsi dubium valde sit, an B. Virgo vel omni possessione destituta fuerit, vel ne quidem hæreditatem à cognatis sperare potuerit. Denique non dubitamus, ab omnibus religiosis & *justis* de gente Israëlitiçâ, quales Josephus & Maria fuerunt, Matth. 1: 19.: sed imprimis à Davidis posteris, etiamsi κληρῶν *hereditaria possessione* admodùm concisâ, ob Messiam eis promissum, legem illam constanter observatam. Jesus ad morem filiorum legalium, Josepho suscitatus niminè dici potest. Conceptus non ex Josephi fratre, aliòve mortalium: sed ex Spiritu S. Non in memoriam Josephi, nondum defuncti. Nec Josephus plenum, sed limitatum tantùm in Jesum jus habuit Paternum. Adeò Præsul, quod contendeat, Lectorem non liberat à *nodis inexplicabilibus*, sed arctioribus constringit. Nec Mariam, quia Elisabetha ejus συγγενής fuit, ex Levitica tribu oriundam fuisse necesse est. Non quidem utor Origenis responso, *explan. in ad Rom. c. 1. cognationis* vocabulum, ut à Paulo Rom. 9: 1. ad omnes Israëlitas extendi posse. Non dubito propiorem *συνέθειαν* inter eas intercessisse. Quid enim impedit, quòd minùs aliquis, sive ex Elisabethæ propinquis Majoribus, ex tribu Juda: sive aliquis ex B. Virginis Familia materna, ex Levitis originem traxerit? Nimirum Levitica Tribus, quia nulla terræ portio ei

con-

contigit, reliquis tribubus liberior, cum tribu Juda affinitatem contrahere amavit: *fortasse propter equiparationem dignitatis Regiæ & Sacerdotalis*, inquit Eglinus nostras, *de Gen. Chr. p. 22.* Vel Matthæus, qui Genealogiâ Josephi ceu medio utitur, quô Jesum Filium Davidis esse demonstrat, nullus est, quod cogitatu impium: Vel B. Virginem Josepho propinquâ cognatione addictam fuisse oportet. Equidem non defuere olim egregii viri, qui in hac Sacerdotalis & Regiæ familiæ in Christo conjunctione, mysterium Sacerdotii & Regii muneris, à Christo jungendî, quærent: sed commentis ad Evangelii mysteria illustranda nihil opus est: nedum ejusmodi commentis, quæ per cuniculos, & sacerdotio Christi, quod à Levitico diversissimum est, & Regiæ ejus dignitati periculum intentant. Conf. Rivet. *Apol. B. V. c. 2.*

XXXI. Quorsum ergò, inquires, à Matthæo Christi Generationem ex Davide ostensuro, Genealogiam Josephi exhiberi? Si quidem Jesus de Josephi sanguine latus & natus non est, quomodo Genealogia Josephi, est Genealogia Jesu? Fuerit Josephus ex Davidis pronepotibus: quî inde constat, etiam Jesum Davidis prolem esse? Judæi quidem hoc prætextu Sanctis Evangelistis insultant, eosque operam lusisse cavillantur. Cerinthus & Carpocrates, ex Christi apud Matthæum Genealogia *πατρῴων* probare conati, eum *ex semine Josephi & Mariæ* editum, Epiph. Hæc. XXX. Ita quidem, Christum Davidis filium esse nemo dubitabit: sed Conceptio ejus ex Spiritu S. & Matris Virginitas impiè abnegatur. Porro, verissimum est, à Matthæo non Josephi Genealogiam, sed Jesu per Josephum describi. Per Josephum duci, non ad Josephum terminari. Eaque ratione ostendi, quomodo jus Regni per Josephum devenerit ad Jesum, Mariæ Filium. Non ergo hæc obstant, quò minùs Matthæus Christi Genealogiam daturus, Josephi familiam recensere, è re duxerit. Josephus Mariæ *Vir*, Maria Josephi *Uxor*, quam Angeli jussu ad se recepit, Matth. 16: 19. 20. Matthæus Genealogiæ immediatè subjicit vinculum conjugale. Palàm innuens, illius scriptæ unam hanc rationem esse, quòd Josephus *Vir* esset Mariæ: Ejusque adèd Genealogiam & ad Mariam pertinere & ad Jesum, eâque utriusque originem ex Davide demonstrari. Cæterùm Lex Leviratûs docet, à Deo sanciri posse, ut semen & filius alicujus legitimus habeatur, qui eo non natus est. Itidem
Josephus

*Cur Spiritus
S. Josephi
Genealogiam exhibeat? Ratio prima.*

3.

5.

6.

7. 2

8.

9. 2

10.

11.

12.

13.

14.

15.

16.

17.

Josephus Pater Christi fuit, Luc. 2: 48. Pater inquam, tum quia Matris maritus: Tum quia verè Paternam filii sui curam & tutelam in se suscepit. Uxor in Mariti familiam transit, & cum uxore, fructus ventris ejus. Partus enim ventrem, venter maritum sequitur: & liberi non ampliùs uxoris, sed parentis esse censentur.

Altera.

XXXII. Accedit gemina alia, quam Spiritus S. habuit, instituti hujus causa, quæ propiùs ad scopum ducit. Prior est, quòd etiam si Mariæ ex Davide ortus satis docere potuerit, Jesum esse Davidis filium, maluit tamen Spiritus S. eandem veritatem duplici documento roborare. Ut cui haud infrequens sit, præcipuè in rebus primi momenti, περισσότερον *abundantiùs* per *duas res* luce insigni præditas, fidem nostram confirmare, Hebr. 6: 17. 18. Quibus si communem Judæorum Christo coætaneorum consensum addas, filium habes triplicatum, & trium testium consensum omni exceptione majorem. Jesum autem Nazarenum ex posteritate Davidis fuisse, manifestum & notorium omnibus esse debuisset, nemo dubitat. Siquidem iste character veri Messia, non tantum palpabilis in eo esse, & ab omnibus animadverti debuit, sed etiam accuratissimè in filio Mariæ ab omnibus observatus & notatus. Sanè si vel minima suspicio contrarii quemquam occupasset, procul dubio reliquis scrupulis frequentius ei objectus fuisset. Itaque Spiritus S. hoc cordi habuit, ut ea lux omnium oculos impleret, & Jesu Nazareni ex tribu Juda & Familia Davidis origo, planè ἐξαρτώνιστος foret. Chemnitius de his ita commentatur: Lucas ostendit, Mariam nativitate seu origine esse ex semine Davidis: Matthæus verò addit, ipsam per desponsationem non transiisse in aliam domum vel familiam, desponsatam Josepho, qui & ipse fuit de Domo & Familia Davidis. Ut ita undique firmissimè probetur, Christum nostrum esse ex Domo & Familia Davidis, sive censeatur ex Familia Davidis: sive censeatur ex Familia Matris, ex qua Virgine natus est: Sive ex illa Familia, in quam Maria per desponsationem transit. Andr. Osiander, cit. Calov. c. Grot. notat, Matthæum eorum vel errori occurrere, vel infirmitati mederi voluisse, qui licet Mariam de domo Davidis ortam, Jesumque ex ea sine opera virili natum esse non abnuerent, tamen si Josephus ex alia quàm Tribu Judæ originem duxisset, asserturi erant, Mariam cum filio suo non in eam tribum ex qua nata, sed in quam fuisset matrimonio collocata referri debere: Propterea quod conjuges quamvis
ad hoc

adhuc *Virgines, una caro essent.* Ut ratio ob quam Deus consultum duxit, Virginem Matrem Viro desponderi; eundem Virum de Davidis prosapia esse postulârit. Talem fuisse Josephum, Matthæus demonstrat. Pariter inter plures causas, cur Dei providentia Mariam, parituram quidem, sed ante partum & in partu Virginem mansuram, nubere voluerit, non postrema fuit, ut filium ejus, ex Davidis posteritate esse constaret. Etiam hoc ex eadem Matthæi Genealogia patefcit. Quibus qui volet, addet August. *Conf. Evang. 2: I. Chemnit. Harm. Evang. 1: 3.*

XXXIII. Altera instituti ratio prægnantior est. Matthæus sic *Tertia,* exorditur, Βίβλος Γενέσεως Ιησὺ χειρὸς ἡμῶν Δαβὶδ, ἡμῶν Ἀβραάμ. *Non otiosè fidelissimos authores generis (Christi) constituit,* Erasmus ex vero ait. Primi ordinis in Patriarchali serie sydera præmittit. Non tantum quòd fide, sed etiam quòd famâ apud Israëlitas præ aliis celebres essent. Ab Abrahamo originem ducit gentis illius ab aliis discretio, adedque consecratio & præ reliquis populis prærogativa: in cujus rei tesseram circumcisio eidem data. A Davide Reip. & cultui divino splendor conciliatus est. In Terra Canaan, Abrahamo promissa, Davidis fortitudine, securitatem consecuti & in ejus plenam possessionem admissi. Abrahamo post Adamum, prima de Messia filio ei nascituro promissio, contigit. Gloria ea à Jacobq ad Judam derivata. Sed quæ tribûs hujus familia Messiam editura esset, Davidi demum significatum. Abrahamus credentium Pater dici, primumque inter filios Dei locum meruit. Etenim Adam (ut de ejus salute non desperemus) non notus in Scriptura nisi ut peccator. David primus Israëlitis Rex. David, non minùs quàm Christus, Abrahami filius. David tamen à Matthæo præmittitur Abrahamo, quia propinquior Christo, memoria ejus recentior, dubio procul etiam apud Judæos frequentior, cum de Persona Messie sermo esset. Abrahamus vulgò ab omnibus Judæis, *Pater* dici amabat, Matth. 3: 9. Luc. 16: 24. Joh. 8: 39, 56. Cum Christus in terra versaretur, Abrahamus Messie Pater, Messias Abrahami filius oppidò rarò cognominatus. Secùs est de Davide. Hoc ergò vult Matthæus: *Jesum* qui verbis & factis demonstravit, se promissum Patribus *Christum* esse, *Filium* esse *Davidis*, non qualemcunque, sed illum quem ex posteritate Davidis adhuc expectârunt *Regem.* Regem, inquam, illum

illum de quo Deus 2. Sam. 7: 12, 16. ad Davidem : *Completis diebus tuis excitabo semen post te , quod prodibit è visceribus tuis : & stabiliam Regnum ejus. Firma erit domus tua , & Regnum tuum usque in seculum tibi erit expositum : solium tuum erit stabile usque in seculum.* Quia enim Abrahamus ab Adamo primus erat, cui promissum, quòd is in quo Deus omnibus gentibus *benedicturus* erat, semen ipsius futurus esset, inde est quòd Christus Matth. 1: 1. *Abrahami filius* dicitur. Id quod proximè ad *Messia Sacerdotium* spectabat. Huc enim referimus, quòd de semine hoc primario, toties repetitum fuerit, reliquo Abrahami semini benedictionem inde expectandam. Quod Messiam fore Sacerdotem docebat. Sacerdotibus enim Provincia populo Dei *benedicendi* imposita, Deut. 10: 6. Gen. 14: 19. Hebr. 7: 6. Davidi ad Regiam dignitatem evocato & evecto, Deus eadem familiaritate, quâ Abrahamo, Messiam ejus *filium & semen* Galat. 3: 16. fore pollicitus est. Idem David ultimus fuit ad quem Deus promissionem illam restrinxit. Gratia enim Nathani facta, pluribus seculis posterior est: nec ejus personæ, sed familiæ denuntiata. Eandem promissionem Deus Abrahamo & Davidi *Juramento* confirmavit, Genes. 22: 16. Actor. 2: 30. Addidit Deus Davidi, Messiam etiam *Regem* fore. Id est in Messia & *semen* seu familiam, & *sceptrum*, i. e. Thronum, dignitatemque Davidis incorruptibilem fore, æternumque duraturam. Quod ut Davidi honorificum futurum erat, ita animum ejus adeò demulsit & recreavit, ut eam ceu maximam quæ ipsi à Deo potuerit contingere gratiam, semel iterumque altis tibiis decantârit. 2. Sam. 7: 19. Psal. 89. & 132. Nec minùs gloriam tantam Regis, & populi cui imperaturus erat felicitatem, in cælum efferunt Propheta. Messia hæud semel *Davidis*, nec non 717 *Dilecti* nomen imposuere, Esaj. 5: 1. 55: 3. Jer. 30: 9. Hof. 3: 5. Ezech. 34: 23. 37: 24. &c. Judæorum ergò, quibus Matthæus scripserat, plurimùm intererat scire, Regem hunc ipsissimum esse Jesum, Maria filium, cujus Doctrinam prædicabat, cujus Historiam suo commentario constringebat. Qui fato usus esset hæud dispari ab eo quod avus expertus erat. Rex futurus semper Augustus, invictus, gloriosus. Sed humilibus natalibus: obscuris auspiciis: non nisi post plurima & cruenta certamina thronum occupaturus. Itaque Matthæus insinuare vult, nec vitâ, quam idem duxerit, præsidii omnibus humanis & secularium Regum pompâ

pompâ & luxu destitutam. Nec contumeliosâ morte quam sustinuerit, tantæ ejus dignitati tantillum detrahi. Non morari etiam obscuram nativitatem. Sed eam regiâ ex Davide profapia abstergi: inprimis Unione cum persona Filii Dei: Vitæ obscuritatem gloriâ miraculorum: Mortis ignominiam, Resurrectionis & Ascensionis Majestate serenari. Quin, in singulis exinanitionis suæ gradibus, ex radiis dignitatis Regiæ emicantibus, Rex agnitus. Vitæ initio Matth. 2: 2. Decursu Joh. 6: 15. Exitu, Matth. 27: 37. Quem ergo Angelus filium Davidi promissum, Regniq; hæredem, Dei nomine Virgini Matri denuntiabat, Luc. 1: 32.: hunc Matthæus Spiritûs S. instinctu, talem esse, Genealogiâ suâ confirmat.

XXXIV. Etenim Josephus filius Davidis fuit, teste Angelo, *Christus*.
 Matth. 1: 20. Ἐξ οἴκου καὶ πατρῶος Δαβὶδ ex Domo & Familia Davidis, *æque Josephus, Davidis filius, & Regni hæres.*
 Luc. 1: 27. Cùm Judæi singuli, Augusti jussu, eis idiam πόλιν in civitatem Familiæ suæ propriam se conferre deberent, Josephus cum Maria, Nazaretho in Urbem Davidis (Joh. 7: 42. Κοιμηθῆναι ἢν Δαβὶδ dicitur) Bethlehemum migravit, Luc. 2: 4. 11. Jesus non equidem filius Josephi natus fuit. Putabatur tamen talis, Joh. 1: 46. 6: 42. Luc. 3: 23. Inde Fabri filius dictus, Matth. 13: 55. Marc. 6: 3. Revera tamen filius Josephi fuit. Vide quæ in hanc rem à Cl. Ligfoto in Luc. 3: 23. opportunè ex ipsis Judæorum hypothefibus adducantur. Indidem fortassis fabula est, de Filio Josephi, Mellia humili, contempto, misero. Porrò Josephum jure Sanguinis, Genuinum Regiæ dignitatis, posteritati Davidis promissæ, fuisse hæredem, Viri Docti certatim veluti comitiis habitis declarant. Matthæo generare, in linea saltem regia, idem est, quod habere successorem Regni, ratione proxima cognationis, Viri de Ecclesia & Rep. literaria meritissimi Cl. Miegii in Amos 9. Dissert. II. §. 6. verba sunt. Jesus Filius Josephi, Regni Davidi promissi ex asse hæres, imò possessor. Itaque Rex verus est & cum nomine omen habet. Siquidem Josephus dignitatis Regiæ hæres naturalis, præter Jesum Mariæ filium, neminem habuit juris Regii ad se devoluti successorem. Ut enim alios ex prioribus nuptiis filios Josepho tribuamus, traditio sola toties in hujusmodi rebus erroris convicta, nos nunquam inducet. Judæorum Magistri, historiæ de Christo & Christianis aded infesti, ut insigni Philologo, Cl. Wagenfæilio, Thold. Jesch. p. 10. observante, in uni-

versa Mischna (quippe ferme ex panniculis Christo Salvatore nostro longè antiquioribus confuta) *nec vola nec vestigium* ejus appareat: In Gemara (quæ commentarius in Mischnam, & longè recentior est) admodum raram ejus mentionem faciunt. Inter tot tamen nugas, hæc quisquiliarum sentina, hanc veritatem, omnium veritatum gemmam possidet, Jesum Nazarenum fuisse קרוב למלכות *propinquum regni*, Gemar. Sanb. Cap. 6. Edit. Venet. Equidem sunt quibus ista & pauca alia obiter Thalmudi inserta, historiam Domini Jesu, multis tricis & quod pessimum, detestandis blasphemis obsecrancia loca, ad alium Jesum, 30. annis anteriorem, non ad Sanctissimum Dei & B. Virginis filium pertinere, videntur. At laudatus Wagenfeil. *Sorb.* p. 1050. seqq. & *Thol. Jesch.* p. 14. contrarium probat, eademque operâ ostendit, tantum parachronismum à maleferiatis recutitis malitiosè committi, ne ex Urbis, anno à Christi passione 40. vastatione, impietatis à gente sua admiffa convincantur. Adde Cl. Cocc. in *Sanb.* l. c. Et Alting. *Schilo* IV. 12.

Regnum Davidis, Messiae promissum, non futurum erat de hoc Mundo,

XXXV. Ipsa Genealogiæ hujus rubrica Matth. 1:1. insinuare nobis vult, hanc Genealogiam eò tantum tendere, ut omnibus constet, Jesum esse *filium Davidis*. Matthæi ævo non dubitari debebat, Deum דודי הנאמני תא' ו'סא ז' Δαβίδ τὰ πρῶτ' beneficium quod & ipsi Davidi gratiosè pollicebatur, & per tot Prophetas deinceps confirmabat, tandem præstiturum. Terminus quo Messias expectandus erat, jam expirabat: & aurora illustris illius diei prominebat. Porro ut magnifica quæque de illo Davidis filio, ejus gloria, Regno, finibus latissimè propagandis, Prophetæ expectare jubebant: ita multò major gentis pars, ventri & glebæ addicta, nonnisi Bacchanalia & Romanorum Saturnalia, à Messia sibi promittebat. Verùm ut David ad Regnum, à caula ad aulam vocatus, fratrumque minimus fuit: Ita cùm nasciturus esset is quem ipse David adumbravit, ex Davidicis ultimus Regnum suscepturus, & majoribus suis eorumque Regno genuinum & planè divinum splendorem conciliaturus erat, familia Davidis vix spiritum traxit, domus ejus, non Palatium erat, sed סכה *tentorium* tumultuariè congestum, qualia in usum pecorum struebantur, Genes. 33:17. Non solida basi nixum sed còrruens & solo æquatam, Amos 9:11. quo filiorum Davidis paucitas & paupertas palam designatur. Unde Messias *Sanb.* XI. §. 26. בר נפלי *filius*

filius lapforum vel collapse, dicitur: cujus rationem Magistri arceſunt à lugubri & trifti conditione, quâ populus Iſraëliticus ſub Meſſiæ adventum futurus ſit. *Faciem ſeculi illius fore caninam* &c. Addunt plura, quæ ſtatum populi qualem Chriſtus vidit, vivis planè coloribus exprimunt. Vide quæ l. c. ex *Sotha* à Cl. Cocc. notantur: nec non Celeb. Mieg. Diſſert. laud. §. 16. Eodem alludit Spiritus Dei, Davidis domum cum pariete vitium faciente & ruituro, comparans Ef. 22: 25. Nec non Eſaj. 11: 1. 53: 2. promittens, Meſſiam ex *trunco Davidis reſciſſo*, oriturum inſtar *ſurculi ex terra arida*. Eundem, *Radicem Jeſſe* inſignit. Non tantum quod Majoribus vitam daret & ſplendorem: quippe familia Jeſſe, cum David naſceretur obſcura ſatis & humilis fuit, 1. Sam. 20: 27. 1. Reg. 12: 16. Sed quia Familiæ, quæ Davide regnante, arborem latiffimam & umbriferam referebat, eo tempore quo filius Davidis promiſſus, ex ea germinaturus, &, priſtino familiæ ſplendore obſcurato, novum decus communicaturus erat, Ezech. 21: 31. Zach. 6: 11. reliqui nihil habitura erat præter Radicem humo ſepultam. Quippe gente Judæorum utcunque, poſt captivitatem respirante, Pontifices M. omnem in populum autoritatem & principalem dignitatem in ſe tranſtulerunt, Regni etiam axioma ſibi vendicârunt, donec Herodes eos omni poteſtate exiit. Interim populus & domus Davidis ad incitas redacti: poſteri Davidis Urbe patriâ extorres: eam petere coacti, in ea nec agniti, nec hoſpitio excepti: nato filio *ἀστυτοι*: Pater cum prole, Joſephus, inquam, & Jeſus, Throni Davidis genuini hæredes, in ſubverſa domus Patriæ ſignum, extruendis alienis ædibus victum quæſivere.

XXXVI. Ut ut verò Davidicæ familiæ res, ad aſciam & dolabram *Reſpondis* rediiffet, Jeſus tamen filius ille Davidis fuit, *ſculo venerandus: promiſſionis* Pſal. 2: 12. cujus ſceptro Judæi cervicem ſubmittere debebant. Equidem *Eventus.* illâ ætate ſceptrum Davidicæ ſtirpi ereptum, ad nullum alium jure natalium potius & propius pertinuit; adeò ut, ſi Deus regiam dignitatem in gente Judaica conſervare voluiſſet, hic ipſe nec alius eam adminiſtraturus fuiſſe videatur. Sed anguſtæ ejusdem familiæ res, Judæos admonere debebant, præjudicium quod Rex Meſſias *μετὰ παρατηρήσεως*, cum ſtrepitu Regum ſecularium appariturus eſſet, exuendum eſſe. Neque Regem, eò quòd Regni ejus adminiſtratio, à Davidico Regno

externo differat abnegandum. Defecit in Jechonia Personalis successio in Regia dignitate, non defecit promissio de Throno & Regno Davidis. Equidem secularis illius Regni gloria pridem extincta, deinceps non restauranda erat. Quin, quod de Rep. Judæorum reliquum erat, propediem ob desperatam gentis pervicaciam radicitus evellendum, neque Regnum posthæc per Seniores, sed se solo: non gladii, sed verbi & Spiritûs robore & virtute, à Messia administrandum erat. Sic ergò illis calculus putandus fuit: Filium Regem, Davidi promissum, non idèd non insidere Throno Davidis, quòd non in Palatio aliquo *αὐτῆς τῆς κτίσεως* & humanitus factò, nullâ pompâ, corporis oculos præstringente, conspiciatur, & numerofo stipatorum satellitio, aut validis exercitibus cinctus compareat. Hæc cum majore, constantiore, gloriosiore, internâ inquam, æterna, cælesti splendore conspicuâ sede, famulatioque commutanda: Cujus nobilioris Regni, externum & seculare Davidis ejusque successorum regnum, Judæis ipsis agnoscentibus, nonnisi *דונמא Δεῖμα* imago & institutio fuerit. Unde Rex Messias, à Rabbi Menaham Rakenatenfi, *David superior* nuncupatus. Ei cùm Judæi subjici nollent, Patriâ migrare jussi, & Fædere Dei exclusi. Ut Maimonides hæcenus ex vero dicat, Jesum Nazarenum fuisse *כהן שישאל נהרן חרב causam*, quòd *Israel gladio vastatus est*: Vid. Cl. Cocc. in Sanh. 1: 37.

*Regiam
hanc Christi
dignitatem,
Genealo.
gia apud
Matthæum,
demonstrat.*

XXXVII. Itaque à Matthæo non respicitur ortus Christi naturalis, sed ortus ad Regnum. Ad id (observante imprimis Hughtone Broughthone, & confirmante Cl. Viro Adriano Pauli aureolâ Dissert. de Geneal. Chr.) requirebatur, Messiam 1. è Davidis semine procreari. 2. Etsi non omnes posterii Davidis, Reges forent, necesse tamen erat, jus Regium Davidi concessum ad Messiam devolvi. *Davidis*; imò & *Adami* filium esse Lucas demonstravit. Matthæus evincit, Messiam *Regem*: dignitate Davidis jure hæreditario ad eum devolutâ. Unde quem Matthæus *cap. 1.* ceu *Regis filium*, Judæis proponit, statim *cap. 2.* ceu *Regem* à gentibus agnitum commendat. Quia Josephus Mariæ maritus & Jesu Pater, uterque Evangelista Genealogiam Christi in Josepho terminat: Matthæus ut Patre Christi ad Regnum, Lucas ut Patre Christi putativo. Porrò & *Regnum Davidis*, Christi: & *Christi Regnum*, Davidis est. *Davidis Regnum*, Christi fuit. Non tantùm, quia Regni Christi typus fuit, quod

quod Davidi cum omnibus Regibus Israël commune fuit. Nec tantum, quia Messias Davidis filius erat futurus. Sed imprimis quia promissio 2. Sam. 7: 17. Davidi facta de æternitate Regni ejus (non inquam æternitate limitata, Dominiove interrupto, sed nunquam finituro), non ejus carnalem posteritatem, neque Regnum quod administrabat externum & in unam gentem, in posteritate conservandum spectatur: sed aliquem ex eo descensurum, qui Deus super omnia benedictus in secula, omnium Regum Dominus, Regnum Davidico & quovis alio seculari amplius & gloriosius consecuturus esset: Non tantum in corpora, sed imprimis in *animas*, imò in *animis* populi à Deo Electi gubernaturus, eos ad gloriam suam efformaturus & directurus, hostes saluti eorum infestos domaturus, denique singulos subditos, in quorum numero ipse David se esse professus, Pl. 110: 1. in totidem Reges commutaturus. *Regnum Christi* fuit Davidis, Luc. 1: 32. Quia Davidis filius, & ille quidem filius erat, cui tam splendidum Regnum divinitus promissum, jure veluti hæreditario à Davide in eum propagandum. Unde & Matthæus hujus filii Davidis Genealogiam promittens; & populus, Jesum Davidis filium insigniens, dicere voluit, eum esse Regem ab Israël expectatum. Certè in hac Genealogia, David (priscis ap. Ill. Heinsium $\xi\epsilon\omicron\pi\acute{\alpha}\tau\omega\varsigma$, eadem prærogativâ quâ Jacobus frater Domini $\alpha\delta\epsilon\lambda\phi\acute{\omicron}\varsigma$, & Abraham $\chi\epsilon\lambda\sigma\omicron\pi\acute{\alpha}\tau\omega\varsigma$ dictus) ut *Rex* consideratur. Unde Matthæus Davidem *Regem* bis nuncupat: Et Christus *filius Davidis* in limine salutatur, qui Regiâ dignitate Patre non inferior: quin, Davidis dignitas Regiâ & Regnum, in filio hoc incomparabilem & æternum splendorem consecuturum erat.

XXXVIII. Gerhardus Joh. Vossius, de *Geneal. Chr. Queri*, ait, *cur Mat. non injuriâ possit, cur Matthæus si nollet maternum genus adferre, saltem theus non ut omnem animis scrupulum evelleret, non verbo adjecerit, fuisse Mariam Josephi agnatam: quo uno satis potuisset solidè ab eo evinci, non Josephum modo, sed etiam Jesum esse filium David, filium Abraham? In ejus Responsione haud displicet, quod observat, Matthæum proximo ab ascensione octennio, in Palæstina docuisse. In alias abiturum Regiones, quæ præsens docuisset, consignasse: quò scripta (quæ sola absentes faciant præsentem) legerent. At Evangelium hoc ab eo*
lin-

linguâ hebraicâ scriptum, (quod fusè probare satagit) nobis vero est distimillimum. Solidius videtur quod addit: *Ubi magis cognitum fuit, de connubio & cognatione Josephi ac Mariae, quàm in Palaestina? Ubi uterque vixisset: imò Maria adhuc degeret. Ubi etiam à non credentibus in Christum, vel solâ adductis curiositate, ob tot Christi miracula, in omnibus hujusmodi, non exiguo studio inquisitum fuerit &c. omnia adhuc erant in recenti memoria: ac innumeri supererant, qui consuli possent ab ignaris.* Genealogiæ etiam, quarum Judæi ubique adeò erant curiosi, multorum adhuc manibus tenebantur, imò terebantur. Ut hujusmodi declaratione opus non fuerit. Adde, scopum historiæ utriusque Evangelicæ fuisse, demonstrare quòd Jesus sit Christus. Ne quisquam de eo dubitare posset jure, subinde Judæis occinitur, eundem Jesum Davidis fuisse sobolem. Quæ ad cumulum hujus assertionis, & ad fidei abundantiam faciunt (v. gr. ipsæ Genealogiæ ab Evangelistis descriptæ) Lectoris industriæ, ut in plerisque Religionis nostræ mysteriis usu venit, & sedulo scrutinio ita relicta, ut, si unus alterve scrupulus in eis reliquus esset, res ipsa in dubium revocanda minimè sit. Eadem reponimus, sciscitantibus, Cur Lucas Genealogiam Mariæ deducens, nomen Mariæ non exprimat? Noluit enim fæminas edisserere sed Viros quos Jesus five putativos five veros Patres haberet. *Putativus* fuit Josephus. *Veri* erant Heli, & qui deinceps ad Adamum usque memorantur. Et quia Judæi non solebant, Genealogias per Matres deducere, ne Patrum memoria obliteretur. Diversa ratio fæminarum, quæ inter alia hinc *ἱστορίαι* dicuntur, quòd eorum nomina posteritati non dentur, sed in oblivionem veniant.

*Prærogati-
va Solomo-
nicæ lineæ
falsæ &
veræ.*

XXXIX. Vir Doctiss. Raphaël Eglinus contendit, Christum ex Regia Salomonis lineæ, cui soli promissio facta sit, in Regem nasci debuisse. *Spiritualis Regni Christi successionem, in regiam Solomonis lineam carnalem, ita cum stirpe ejus devinctam esse, ut ad dona Dei ἀμετάκλητον* pertineat. Qui Christum Mariæ filium, ac Mariam matrem Domini ex posteris Nathanis simpliciter statuunt, unde Christus ortum ducat, illos Christo dignitatem Regiam, & primas prærogativas soli Solomoni tributas, quantum in ipsis est, adimere. De Geneal. Chr. Præf. & pag. 17. *Judiciosissimus Scripturæ Interpres, & cum summis de palma cer-*

certans Joh. Calvinus, à Luca *neque Patrem neque Avum Christi commemorari, sed disertè progeniem ipsius Josephi* exponi asserit. Addit: *Si à Mariæ Genealogia excluditur Solomo, Christus esse Christus desinet.* Eidem tamen Viro Doctiss. illorum opinio probabilis videtur, qui *morte Ochoziæ finitam fuisse Solomonis stirpem* existimant. Agnoscit etiam, *quamvis Christus naturaliter ex Salomone non fuerit genitus, legali tamen ordine censerit ejus filium, quia ex Regibus originem duxerit.* Nimirum Matthæus legale, Lucas naturale Josephi genus, Calvino prosequi videtur. Rem ipsam quod spectat, Jesus sanè & *filius Davidis, & Rex* natus est: Licet ex Solomone Rege ortum non trahat. Promissio de nascituro Messia, non Solomoni facta, sed Davidi, ejusque semini. Et verò ut Davidis *semen* fuit *primarium & secundarium*: ita *Regnum & spirituale & temporale* ei promissum, & revera datum. Gemina inquam promissio Davidi contigit. Prior de Regno seculari in posteritate ejus continuanda. Hinc ejus filii tam diu regio titulo præfuerunt, quàm Deus Israëlè à Regibus regi voluit. Posterior de Messia ex Davidis Nepotibus dando. Illa ad Salomonem spectavit, & si ita vis, regnum hoc æternum dici potuit in sensu diminuto. Ejus enim filii tam diu regio titulo præfuerunt, quàm diu Deo Israëlè à Regibus gubernari placuit. Cæterùm eadem promissio conditione nitebatur, quâ non præstitâ, i. e. Davidis posteris degenerantibus, post quatuor sæcula regnum in Jechonia desiit: Deo disertè pronunciante, nullum deinceps Regem ex linea hac proditurum, quod Cl. Eglinus p. 21. §. 34. & p. 40. agnoscit. At denuntiatione illâ Deus clarè satis declaravit, *lineam Regiam non esse*, quod illi volunt, *lineam promissionis*. Id est, Messiam, qui promissionis illius nucleus fuit, & cujus typum Reges illi gefferunt, Solomonis filium minimè futurum. Quanquam minimè illis calculum demus, quibus Solomonis linea ante Christum natum extincta videtur. Sanè cum Josephus ex recta linea Solomonis originem traxerit, eam neque in *Ochozia*, quod Joh. Annii *Pseudo-Philo* plurimis, gravissimis etiam, Viris persuasit: Nec in *Jechonia*, quæ Broughthoni aliorumque magnorum literatorum, ipsiusque Petri Possini, Jesuitæ Tholosani in *Diallactico-Theogenealogico*, hypothesis est: Neque in *Jacobo*, quod Damascenus vult, expirasse necesse est. Porrò, utut Christus

Solomonis filius naturalis non fuerit, Filius tamen ejus est, quia per dispensationem in familiam Solomonis transiit. *Si recta linea à Solomone descendisset, vi divini juramenti ad dignitatem regiam venire non potuisset*, verba sunt Cl. Alting. *Op. T. 1. pag. 65c. b.*


Potior Nathani concessit.


XL. Promissio de Messia ejusque regno, quod tum spirituale, tum plenissimo sensu æternum esse debuit, fuit absoluta & immutabilis: Indefinita tamen, ratione familiæ per quam Deus eam benedictionem Davidi impleturus erat. Vid. Psalm. 89: 37. 132: 13. Jer. 33: 17. 21. Cùm enim illi in plures familias se diffunderent, nobile promissum non omnibus commune esse potuit. Cui autem Deus decus hoc donaturus esset, ante Zachariam cap. 12: 12. nullum indicium dedit. Ad Nathanem pertinuisse, eventus docuit. Solomon cum filiis solium occupavit, in quod Deus Davidem evexerat. At Nathani filio dedit regnum tereno illo adumbratum, quod administrari demum debuit à Davidis filio postquam terrenum expirasset. Planè quemadmodum sacerdotium, quod cælestis sacerdotii umbra fuit, brevi post sacerdotium secundum ordinem Melchisedeci consummatum, expiravit. Ne in subsidium advocem Strigelii, Grotii, &c. observationem, pleraque posterum Nathani nomina, spem regni posteris Davidicis promissi in sinu gessisse. Nec non illorum sententiam, quibus *Nathani* nomen, filio à Davide datum videtur, in memoriam Nathani Prophetæ, vaticinium de semine in æternum regnatura, ei denunciantis: ut fiduciam suam promissi consequendi declararet. Cui conjecturæ sive locum demus, sive non, certum est, non Solomonem sed Nathanem promissionis filium fuisse, ex quo Deus Messiam daturus erat. Exspectabant homines, Diadema Solomonis à Deo impositum iri. Judæi hodieque in eo errore sunt. Prophetarum tamen indicio Nathanicis dignitas ea cessura erat.


Calvini sententiam prolixius ad calculum revocat


Fr. Gomarus, *Oper. Tom. 3. pag. 311.*


F I N I S.











☼ (47) ☼

plura circa hanc materiam tractata recognoscere
eter modo laudatam Harmoniam Chemnitio-Ly-
& B. HILDEBRANDI A CANSTEIN Harmoni-
o. 653-660. Io. Casp. SVICERI Thef. Eccles. par-
o-713. ISAACI CASAVBONI Exercitat. Anti-Ba-
XII. p. 309-389. cum IAC. CAPPELLI Vindicis
em ERASMI & IO. PISCATORIS adnotationes,
VTII Comment. ad h. l. B. Aegid. HVNNII tra-
cclesia p. m. 233-250. B. Seb. SCHMIDII Petrum
p. 107-147. Io. COCCII Operum tom. IV. p. 29.
is nobis *ὁμολογῆσθαι* est, B. Abrah. CALOVII Vin-
duerfus Hug. GROTHII corruptelas, item plures
ristoph. WOLFIO in Curis philol. crit. ad h. l.
e qq. adlegatos, præfertim *Eliam du Pin* &
Ioannem *Launoium*, commen-
damus.

ὁ δὲ τῶ θεῶ ἐπὶ τῇ ἀνεκδιηγῆτω αὐτῆ δωρεᾶ!

MIO AC PRAESTANTISSIMO
IVVENI,
NI GEORGIO WILLIO
M IN CHRISTO PLVRIMAM DICIT
PRAESES.

gis, CARISSIME WILLI, quod, dum abi-
x academia nostra meditaris, rationem stu-
m specimine quodam publico recepto mo-
on neglexisti. Isto enim documento osten-
vlla molestia mea in ædibus meis, ita non
florentissima academia, per triennium &
te. Dum vero materiam ad disputandam
umenti, vt fatis ardui hodieque scitu neces-
farii,